


[Faint, illegible text on a parchment page, possibly bleed-through from the reverse side. The text is arranged in several columns and is mostly obscured by the texture and color of the parchment.]





Illustrissime Domine,

*Salutem, & flores optimos ex
Hortulo MARIANO.*

Rosa pretiosa aestatis filia, facer oculis, naribusq; flosculus, purpurata hortorum imperatrix est: ut proinde mirum non sit ut Greg. XIII. ex auro elaboratam rosarum vernantiu stirpem, qua auro inferta vasculo, & ex tripode auro eminens sesquicubitalem altitudinem vel attingebat tantum, aut etiam excedebat,

1893/94 F. 1095

EPISTOLA

debat, non humi corona-
tæ Reginarū cuiquam,
pro more aliàs recepto,
sed Lauretanæ Virgini
anathéma miserit, & in-
scripserit :

GREG. XIII. REGINÆ

CÆLI, ET TERRÆ.

His nos Rosis lilia etiam,
fioresq; alios commistos
in Hortulo MARIANO re-
perimus: quem Hortu-
lum *Roseis Tuis Montibus*
imponere volumus, ut
emineret spectabilis o-
mnibus, suamq; eò lon-
giùs, latiùsque spiraret
fragrantiam. Nam & ad
Græ-

DEDICATORIA.

Græcium *montes roseos* videmus. Tibi cognomines. Cervical fuit Magno Macedoni Homeri Ilias: erit hic libellus Cervical & Tibi, & nobis. Nam si benè monet D. Hieron. fesso capite sacris indormiendū codicibus; ecce roseum in hoc libello pulvillū, in quo languens amore sancto MARIÆ amans anima & fulciatur floribus, & stipetur rofulis, & denique quoties inter dormiendum spiritum traxerit, è vicinis ad nares rofulis
) (2 odo-

EPISTOLA

odoratum trahat anhelitū. Si verò clypeo malit quàm pulvillo indormire; hæc rosa esto illi clypeus: memini enim ego scutum Achillis militis Homericis rosulis insignitum. Sed & P. Corn. Scipio suam illam Hannibalis triumphatricem legionem victricis dexterâ roseum ferre falciculum, & rosulis insignes clypeos gestare iussit eo ipso die quo triumphalis pompa de Annibale ducebatur. Ita nos & vincere volumus, & triumph-

pha-

DEDICATORIA.

phare in rofulis Hortulij
MARIANI: harum fasci-
culū & in manibus, id est,
agendo, portaturi, & in
his Magno illo Domini
die triumphaturi. Vete-
ranus est hic Hortulus,
ideò super *Montes Roseos*
ROSENBERGICI No-
minis in novum quasi
plantarium traducitur.
Ecce enim isti MARIÆ
Filiij jam *veniunt salientes*
in Montibus, in quos MA-
RIA ROSA MYSTICA
suos Rosarum Hortulos
transplantavit, ut essent
radices, & *fundamenta*
) (3 San-

EPIST: DEDIC:

Sancti hujus Hortuli *in*
Montibus Sanctis: in qui-
bus ita cœlo vicinus vi-
ve, Heros MARIANE, ut
ad *Montes æternos* è spinis
olim abeas, ad Hortum
ex Hortulo MARIANO.

Ita Tibi, suisq; omnibus
adprecatur

Universa B. V. Matris
MARIÆ *Annunciatæ*
Sodalitas

Græcij Anno nati è
MARIÆ JESV 1640.

Qui Societati JESV,
MARIANÆ hujus
Societatis Nutri-
ci, secularis est.

AD



AD LECTOREM

Præfatio.

Ingredere hunc Hortulum,
Amice Lector, mundis pedi-
bus, puro, & devoto affectu. Ma-
rianus enim est. MARIA nitidi-
or stellis, Sole lucidior, nitore,
& pietatem in hortulo suo
amat, & querit. Ingredere lu-
benter, & sæpè, nihil enim est
hic quod te non allectet; hortu-
lus est, amœnus est, cœlestium
Soluptatũ, spiritualiumq; de-
liciarum locus est. Si curis sæcu-
laribus obrueris, si frequenti
occupatione fatigaris, ut respi-
res, huc accurre: si tentationes
impetunt; ne deficias, huc ad-
vola, pulchritudine tot florum
recreandus, odore tot florum
confortandus. Perambula to-
) (4 tum,

AD LECTOREM

rum, & ex singulis quinque (in
quas Hortulus dividitur Areo-
lis, aliquot Flosculos lege, hinc
Violam submissæ reverentiæ:
illinc Rosam amoris, & fiducia:
inde Lilia integra devotionis:
istinc Hyacinthos multiplicis
obsequij: & illinc Solsequia
perfectæ Imitationis. Istiusmodi
flores tibi offert hic Hortulus,
legendos oculo, legendos & ma-
nu, & quidem sedulo, constan-
ter, prudenter. Apes imitare,
quæ mel ex floribus sugunt,
quàm promptæ & sedulæ, tam
prudentes & discretæ, dum se-
ligunt, quos delibent, & si quos
repererint operi aptos suo, non
leviter prætervolant, non avo-
lant nisi bene saturæ. Talem de-
bere esse germanum Virginis cul-
torem, nec sine tribus comiti-
bus,

P R Æ F A T I O.

bus, Fervore, Constantia, Dis-
cretionem, in Hortulum hunc in-
grediendum esse, sequentia do-
cebunt. Convolare autem huc
Vel imprimis decet bonarum li-
terarum studiosos, quod mira
quedam sit Doctrina, ac Maria-
na pietatis cognatio; ut ex Her-
manno Contracto, & Ruperto
Abbate Tuitiensi S. Benedicti
Viris Religiosis compertum est,
qui ex rudibus, ac indoctis, B. V.
beneficio, sapientissimi facile
evaserunt. Trith. l. 2. de Viris
illust. S. Bened.

Tres Comites devotio-
tionis erga B. V.

I. DILIGENTIA, ET
FERVOR.

Beatissimam & Intemeratam
Virginem, non tepidè, non
) (5 osci-

AD LECTORĒM

oscitanter, non perfunctoriē
colendam esse, satis quidem
per se constat; sed ut habeat
ignis amoris, & devotionis no-
stræ erga illam, unde sese nu-
triat, & effervescat magis, ecce
tres rationes præcipuæ, quæ
per frequentem meditationem
illi in pabulum apponendæ
sunt, *ex Psal. 86.*

Prima ratio cur Deipara cum
fervore colenda sit, est ipsius
excellencia, quæ à Psalmistâ
typo Templi Hierosolymitani
his verbis adumbratur: *Funda-
menta ejus in omnibus Sanctis:
Diligit Dominus portas Sion
super omnia tabernacula Jacob.
Psal. 86.*

Ex quibus passim colligunt
Doctores, primam sive mini-
mam gratiam collatam B.V. in
ipso

PRÆFATIO.

ipso conceptionis ejus instanti
fuisse majorem maximâ quam
ullus hominum vel Angelorum
unquam acceperit *Suarez, &*
alij. Addunt deinde eandem
Virginem semel acceptam gra-
tiam continuato sine ullâ in-
terruptione incremento, &
quidem altero tanto adauxisse.
Unde rursus nonnulli, non mi-
nùs piè, quàm probabiliter ra-
tiocinantes, concludunt, ejus
unius & gratiâ, & gloriam per-
fectiorem esse, quam sit omnis
quorumlibet Sanctorû, & Bea-
torum simul collecta; & con-
sequenter eam solam à DEO
pluris fieri, ampliusque diligi,
quàm diligantur omnes puræ
creaturæ simul. Quod si reve-
rentia, & cultus æquâ propor-
tione respondere debet excel-

AD LECTOREM

lentiæ, quis ex his manifestè non colligat B. V. ampliori honore, amore, cultu prosequendam esse, quàm honorentur, amentur, colantur, Sancti ac Beati & singuli, & simul omnes?

Percurre nunc animo universum orbem Christianū, singula regna, provincias, urbes, loca quævis perlustra, attende quantum, à quàm multis, quàm varijs modis & publicè, & privatim S. Angeli, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui Beati colantur; ac posteaquam istiusmodi honores cœlitibus jure impensos, tot, & tantos fueris demiratus, unum aliquem ex ijs omnibus confa; quantus ille erit? Ah! longè majorem illo exigit honorem,

P R Æ F A T I O.

norem, & cultū Virgo MARIA.
Quàm ergo fervens, promp-
tus, igneus totus, alatus totus,
centiceps, & centimanus esse
deberes ad eam colendam?
cui Sanctissima Trinitas tantum
amoris, tantum honoris im-
pendit, quantum te vermicu-
lum, & abjectum homuncio-
nem oportet impendere?

Secundum fervoris in co-
lenda Virgine motivum est, quod
sit Mater DEI, his verbis à Pro-
pheta designatum. *Gloriosa di-
cta sunt de te, Civitas Dei, Psal.*
86. Vis nosse quam gloriosa
dici possint, & debeant de eâ,
quam DEVS in Civitatē suam,
in quâ habitaret, in Matrem,
inquam, elegit?

Primò, Titulus iste Matris
DEI dignitatem suo genere

) (7 infi-

AD LECTOREM

infinitam B. V. confert. Deinde declarat immensa ipsius in Christum Dominum merita, quem ut Mater amantissima educavit, vestivit, fovit, protegit, ad ipsam usque mortem illi adfuit, mortuumque sepelivit, indicibili affectu & sollicitudine. Illa ergo quæ JESUM Christum Salvatorem nostrum, Parentem nostrum, Amatorem cordis nostri ita complexa est, tot officijs, & obsequijs prosecuta est, quæ non obsequia suo jure à nobis exposcit? Denique prærogativa Matris DEI complectitur innumera ejus in univ ersum genus humanum merita. Debuerat mundus, cum DEI Filius in terras humanam assumpturus naturam descendit, summam reverentiã, pleno amo-

PRÆFATIO.

amoris amplexu cum reciperes
debuerat decore, ardore, va-
rietate virtutum, Thronorum,
Cherubinorum, Seraphinorum
æmulus, ei venienti occurrere;
sed cæcus, sed ingratus, sed in-
dignus eum despexit, abegit, &
quantum in ipso fuit, tam expe-
titum, & necessarium Redem-
ptionis opus prostituit. Tu
Virgo MARIA, Tu ex omnibus
una, tota ardore charitatis Se-
raphica, instar Cherubim sapi-
entiâ præfulgens, tuâ humili-
tate, & puritate te Thronum
DEO gratissimum præbuiſti, &
fœtorem peccatorum, qui DEI
Filio exosam terram reddebat,
virtutum tuarum unguento ita
correxisti, ut illum huc allexe-
ris, & officium cæterorum ho-
minum suppletura, vicaria tua
visce-

AD LECTOREM

viscera ad Messiam excipien-
dum, vicaria brachia ad eum
amplectendum, vicariam lin-
guam ad eum collaudandum,
vicariam denique te totam ad
ei ministrandum, terræ, cæte-
risq; hominibus commodasti.
Ut de alijs taceam B. V. in
mortales meritis, & eorum o-
mnium nomine exhibitis DEO
obsequijs, de solo ejus in Con-
ceptionem Filij DEI consensu
quid dicat Bernardus, perpen-
damus. *Homil. super Missus.* Au-
divisti, inquit, Virgo, (scil. nun-
cium de cælo missum, quòd sis
in Matrem DEI electa) expe-
ctat Angelus responsum, tem-
pus enim est ut revertatur ad
eum qui misit illum Expecta-
mus & nos, ô Domina, verbum
misericordionis, quos miserabili-
ter

PRÆFATIO.

ter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium redemptionis nostræ, statim liberabimur si consentis. Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exul de Paradiso: hoc Abraham, hoc David, hoc cæteri flagitant SS Patres, Patres scilicet tui, qui & ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat; nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Hæc Bernardus. O quam gloriosa, & quanto affectu, & fervore dicta sunt de te, & à nobis deinceps
dici

AD LECTOREM

dici debent, ô Civitas, ô Mater
DEI?

Tertium denique quod nos
ad fervorem in colendâ Virgi-
ne MARIA excitare potest, &
debet, est ipsius immensa in
omnes, & singulos homines Mi-
sericordia, *Sicut enim* (pergit
eodem loco Psalmista) *lætan-
tium omnium habitatio est in
te.* Psal. 86.

Omnia omnino; & quare
lætantium? nisi ob beneficia,
quibus quotidie ab illâ cumu-
lantur, ita ut audacter, & verè
cum Bernardo pronunciem:
*Sileat, ô Beata, misericordiam
tuam, si quis est qui te invo-
cavit in suis necessitatibus, sibi
meminerit defuisse; & quia
nemo est talis, nemo ergo si-
leat, sed omnes omnino lætan-
tes,*

PRÆFATIO.

tes, & fervidi misericordiæ ejus longitudinem perpetuâ devotione, latitudinem omni genere præconiorum, sublimitatem excellentissimo cultu, profunditatem humillimâ reverentiâ prosequantur. Sed de beneficijs, & misericordiâ Dei paræ infrâ latiùs.

Secunda Comes Devotionis erga B. V.

CONSTANTIA.

EST & aliud meritò ponderandum in verbis his Psalmistæ: *Sicut letantium omnium habitatio est in te. Psal. 36.* Habitatio est, inquit, qualis est civium, non transitoria, & diaria commoratio, qualis est peregrinorum; ut intelligamus gratia-

AD LECTOREM

tiarum, & deliciarum cœlestiū
fluenta ex cultu B. V. non deri-
vari nisi in constantes, ac in-
pietate sua perseverantes. nam
qui illam quasi in transitu tan-
tū salutant, qui sese velut ho-
spites, & peregrinos in ejus ob-
sequio præstant, ac inchoata se-
mel exercitia facile negligunt,
præterquam quòd debitis suæ
inconstantia pœnis subjacent,
etiam nonnullam Deiparæ of-
fensam incurrunt, prout colligi
potest ex sequentibus exem-
plis, in quibus videre est duos,
alioquin Virgini addictissimos
& Sanctos, ab eâ graviter ob-
jurgatos ob solita reverentiæ
& devotionis in eam exercitia
aliquandiu intermissa.

Primus est Hermannus, ille
qui tantâ in Virginem flagra-
vit

PRÆFATIO.

vit pietate, ut ab eâ in sponsum assumi, & Joseph nomine donari meruerit. cùm hic in Beatæ Matris officio persolvendo, Hymnisque, & Horarijs precibus recitandis, negotijs, curisq; distract⁹ negligentior evasisset, occurrit illi quadam die Virgo, non formosa, ut solebat, sed anili figurâ, & fronte rugis deformatâ. Ecce, inquit, talis appareo, qualis tibi jam sum. Tempora illa requiro in quibus me millies memorabas, salutabas, laudabas; nec te pudet in hac re esse remissum, mei memoriâ senescente? Coriectus, emendatusq; Hermannus, primum ardorem renonavit. *Surius in ejus vitâ. 5. Aprilis.* Alter est Thomas à Kempis (notum passim, & celebre nomen

men

AD LECTOREM

men) cui juvenili adhuc ætate
Daventriæ Scholas frequen-
tanti, apparuit in classe B. Vir-
go, eique ob intermissas con-
suetas preces amplexum indi-
gnabunda denegavit, quo reli-
quos omnes condiscipulos di-
gnata fuerat. *Spec. exemp. dist.*
10. num. 7. ex ipsomet à Kempis
p. 3. Serm. ad Novitios.

Tertia Comes Devotionis erga B. V.

DISCRETIO.

VT ergo in cultu B. V. con-
stantia ab eâ tantopere
expetita, & ad fructum percipi-
endum necessaria retineatur,
tertiam devotionis comitem
assumere oportet discretionem
quæ modum & mensuram ex-
ercitijs pietatis imponat, ut

NON

PRÆFATIO.

non nimis multa simul, non nimis ardua, aut Instituto, & statui cuiusq; parū convenientiā suscipiantur, quæque propterea cum anxietate, & sine gustu, & cum præproperâ festinatione expleri debeant, & sæpe tandem cum tædio relinquuntur.

Et hæc causa est, cur tot Præxes, & simplicis quidem stylo hic sint propositæ (nec enim aliud intendimus, quàm proximè docere, eamq; unâ, aut alterâ Historiâ, vel Sancti cuius Doctoris sententiâ comprobare) ut scilicet quisque seligere queat sibi convenientes, easq; in diversa partiri tempora, aliquas singulis diebus, aliquas Dominicis, alias festis solennioribus addicere.

ELEN.

INDEX
ELENCHUS CAPIT-
ulorum hujus libelli.

AREOLA PRIMA
VIOLARVM.

Exercitia reverentiæ
erga B. V.

- Capit. 1. 1. Exercitium re-
verentiæ; Non temerè, nec
sine recollectione præviâ ad
illam orandum accedere. f. 3.
Cap. 2. 2. Exercitium; In salu-
tandâ Virgine nostras Vices
Angelis committere. fol. 5.
Cap. 3. 3. Exercitium; Sanctissi-
mum MARIÆ nomen vene-
rari. fol. 12.
Cap. 4. 4. Exercitium; Honore
prosequi ejus imaginẽ. f. 22.
Cap. 5. 5. Exercitium; Honorare
locâ ipsi sacra. fol. 39.
Cap. 6. 6. Exercitium; Honorare

CAPITVM.

- ea omnia, quæ ad ipsam aliquo modo spectant. fol. 56.*
- Cap. 7. 7. Exercitium; Exhibere illi cultum hyperdulciæ per genuflexiones. fol. 62.*
- Cap. 8. 8. Exercitium, Eundem cultum repetere sese humi prosternendo, & terram exosculando. fol. 67.*
- Cap. 9. 9. Exercitium; Nihil negare, quod quidem licitè & prudenter concedi possit penitenti in honorè B. V. fol. 77.*
- Cap. 10. 10. Exercitium; Bona sua proposita illi consecrare & consignare. fol. 81.*

AREOLA SECUNDA

ROSARVM.

Exercitia amoris in B. V.

Caput I. Contemplatio prima ad excitandum amorè

)) (

in

INDEX

- in B. V. ob eius pulchritudinem, & perfectionem. fol. 90.*
- Cap. 2. Contemplatio secunda ad excitandum amorem in B. V. ob eius beneficia, & misericordiam. fol. 102.*
- Cap. 3. Renovatio amoris, & devotionis erga B. V. interdum per breviorē recollectionē. fol. 118.*
- Cap. 4. Exercitium amoris, & fiducia in B. Virginem, cum aliquid ab eā postulas, praesertim tempore adversitatis. fol. 127.*
- Cap. 5. Frequens recordatio B. V. est effectus, & indicium amoris in illam. fol. 135.*
- Cap. 6. Alius effectus, & argumentū amoris in B. V. est, frequenter de eā loqui. fol. 139.*
- Cap. 7. Aliud indicium amoris*
- in*

CAPITULUM.

in B.V. est, amare ejus amicos. fol. 144.

AREOLA TERTIA
LILIORVM.

Praxis sese B.V. devo-
vendi.

Caput I. Quàm sit utile se
suaq; specialiter in B.V.
tutelam tradere. fol. 151.

Cap. 2. Primus modus sese pecu-
liari cultu B.V. consecrandi,
communis omnibus cujus-
cumq; status. fol. 157.

Cap. 3. Secundus modus devo-
vendi se B. Virgini, Sodali-
tati parthenie nomen dan-
do. fol. 168.

Cap. 4. Tertius modus per in-
gressum in religionē. fol. 174.

) () (2 AREO-

INDEX
AREOLA QVARTA
HYACINTHORVM.

Diversa erga B.V. ob-
sequia.

- C**ap. 1. De salutatione An-
gelica. fol. 185.
Cap. 2. De coronâ B.V. si ve ro-
sario. fol. 188.
Primus modus legendi rosa-
rium. ibid.
Cap. 3. Secundus modus legendi
rosarium. fol. 207.
Cap. 4. Tertius modus legendi
rosarium. fol. 211.
Cap. 5. De officio B.V. fol. 226.
Cap. 6. De Psalterio B. Virginis,
Litanijs, & officio Immacu-
latæ Conceptionis. fol. 230.
Cap. 7. Quomodo dies Sabbathi
colendus sit in honorem B.
Virginis. fol. 233.
Cap.

CAPITVM.

Cap. 8. De festis B.V. fol. 237.

AREOLA QVINTA
SOLSEQVIORVM.

Imitatio B.V.

Caput 1. Praxis generalis
imitationis B.V. fol. 243.

Cap. 2. 1. Instrumentum imi-
tationis B. Virginis; Amabi-
lem ideam virtutum eius in
animo suo efformare. f. 249.

Cap. 3. 2. Instrumentum; Con-
cipere fervens desiderium,
et propositum eam imitan-
di. fol. 257.

Cap. 4. 3. Instrumentum; Insti-
tuere seriū et diligens exa-
men particulare. fol. 265.

Cap. 5. 4. Instrumentum; fre-
quens auxiliij ipsius in voca-
tio. fol. 273.

) (3 Cap.

INDEX

Cap 6. Praxis mendicationis à
B. V fol. 276.

Cap 7. Imitatio B. V. in con-
templatione & meditatione
rerum caelestium. fol. 284.

Quomodo B. V. sese disposuerit
& preparaverit ad medita-
tionem. fol. 286.

De quâ materiâ B. V. meditata
sit. fol. 289.

Quàm ferventes affectus, quàm
sancta & solida proposita B.
V. inter meditandum conci-
peret. fol. 296.

Quam recollectionem institue-
ret B. V post meditationem.

fol. 302.

Cap. 8. Imitatio devotionis B. V.
erga sacrificiũ missæ. f. 304.

Beatiss. V. magnâ religione pro-
sequebatur sacrificium mis-
sæ

fol. 305.

Quo-

CAPITVM.

- Quomodo se gereret Virgo Mater tempore sacri.* fol. 310.
Cap. 9. Imitatio B. V. in sumenda sacrosancta Eucharistia.
fol. 315.
Preparatio ad sacram communionem. fol. 316.
Quae agenda post communionem ad imitationem B. V. f. 328.
Cap. 10. Imitatio B. V. in opere manuali seu exercitio corporali. fol. 332.
Cui operi manuali Deipara sese impenderet. ibid.
Cum qua devotione, & recollectione interna B. V. exercitium corporale perageret.
fol. 335.
Cap. 11. Imitatio B. V. in refectioe corporis. fol. 339.
Quanta fuerit abstinentia & sobrietas B. V. ibid.

) () (4 Quo-

INDEX

- Quomodo B. V. refectioñe men-
tis cum refectioñe corporis
conjungeret.* fol. 342.
- Quibus colloquijs D. Virgo ani-
mum post refectioñem rela-
xaret.* fol. 345.
- Cap. 12. Imitatio B. V. in capi-
endo somno* fol. 347.
- Cap. 13. Imitatio præcipuarum
Virtutũ B. Virginis, & impri-
mis puritatis mentis.* f. 348.
- Idea puritatis B. V.* fol. 349.
- Amor & desiderium similis pu-
ritatis.* fol. 351.
- Examen particulare circa præ-
xim imitationis ejusdem
puritatis.* fol. 353.
- Puritas à D. V. petenda.* f. 357.
- Cap. 14. Imitatio castitatis B.
Virginis.* fol. 363.
- Cap. 15. Imitatio paupertatis
B. V.* fol. 370.
- Cap.

CAPITVM.

- Cap. 16. Imitatio B. V. in heremilitate, ejusq; comitibus, modestia, patientia, obedientia. fol. 375.
De humilitate B. V. ibid.
De modestia B. V. fol. 378.
De patientia B. V. fol. 380.
De obedientia B. V. fol. 385.
Cap. 17. Imitatio B. V. in charitate erga proximum. f. 390.
Cap. 18. Imitatio B. V. in amore Dei. fol. 394.
Eucharisticon pro dono devotionis erga B. V. fol. 404.



AD



AD B. VIRGINEM

PRECATIUN-
CULA

*Quâ in hortulum suum
invitatur.*

Veni in hortum meum, So-
ror mea Sponsa, inquit
Sponsus in Canticis. *Cantic. 5.*
Quò enim còvenientius com-
modiusque, quàm ad hortum,
te, ô Virgo Mater, invitaret
Sponsus tuus Spiritus sanctus
quæ tota florida es, immò flos
puritatis, & perfectionis? quæ
florem mundo protulisti, cujus
odore reviximus mortui, JE-
SUM Christum; quæ cum Spon-
so tuo inter Lilia castarum
mentium pascaris, quas & ipsa
vicif-

vicissim pascis, demulcesque
 tantâ cœlestium voluptatum
 copiâ, ut jure dicaris clientibus
 tuis esse, sisque reipsâ, Paradi-
 sis voluptatis. Audebo & ego
 Te in hunc Hortulum tuum in-
 vitare, Tuum, inquam, quia ex
 voto donoq; meo, (si quid ta-
 men tibi donare possum, qui
 nihil habeo nisi tuum) totus
 tibi sacer est; Tuum, quia tua
 ope confitus, excultusq; est;
 Tuum, quia quot flores, tot
 exercitia profert, quibus ho-
 noreris, ameris, colaris. Veni
 ergo in Hortulum hunc Tuum,
 Ô MARIA: Sepi eum & conclu-
 de protectione tuâ, ne quis ir-
 repat coluber, aliudvè immun-
 dum, & exitiale animal, quod
 impuritate, maligno dente,
 protervo cornu, petulco pede,
 ab-

☞ (O) ☞

abusu, neglectuūe eum collu-
tulet, inficiat, destruat. Irriga
eum imbre multiplicis miseri-
cordiæ tuæ: Perfla Austro fœ-
cundi favoris tui: Fove vitali
ardore constantis dilectionis
tuæ, ut floreat fragretq; totus
omnigeno flore, ex quo Corol-
lam nectas pulchram, & odora-
tam, Tibi debitis obsequijs,
nobis gloriâ, & immor-
talitate.



HOR-

I.



HORTULI MARIANI

Areola prima

VIOLARUM.

*E quâ colligi possunt diversa
exercitia reverentia & sub-
missionis erga B. Virginem,
cujus Symbolum est
Viola.*

P Raxis reverentiæ (po-
tissimum internæ) erga
B. Virginem, quæ hac I.
parte continetur, & praxis A-
moris erga eandem, quæ parte
2. traditur, sunt præcipuæ &
A velue

2 HORTVLVS

velut fundamenta sequentium.
Nam si quis parùm reverenter,
sine attentione, perfunctoriè,
& velut aliud agens; aut si quis
sine affectu quasi per consue-
tudinem, aut fallendi tempo-
ris causâ, obsequia sua & pre-
ces offerat B. Virgini, nec sibi
magnam ejus gratiam conci-
liabit, nec fructum percipiet
talem ex his exercitijs, qualem
collegisse perhibentur ij, quo-
rum exemplis ista confirman-
tur. Itaque primùm curet cul-
tor Parthenius ut aliquas re-
verentiæ & amoris praxes
sibi familiares
reddat.

✿ (o) ✿

CA-

M A R I A N V S. 3

C A P V T I.

Primum Exercitium re-
verentiæ erga
B. V.

*Non temerè, nec sine recolle-
ctione præviâ ad illam
orandum acce-
dere.*

Quotiescumque B. Virgini
supplicaturus es, & laudes
ejus recitaturus, ut id operis
præstes quâ par est reverentiâ,
priusquam incipias, paululum
te recollige, & animo à cæte-
ris expedito cogitationibus,
unam hanc versa, quò vado &
quid acturus sum? nimirum al-
locuturus & salutaturus sum
eam, quæ Mater Dei est, Re-
gina

A 2

gina

4 HORTVLVS

gina cœli & terre; que in throno gloriæ Angelicis choris circumdata, plenissima majestatis confidet; quantam ergo reverentiam & attentionem convenit me adhibere pauperculum & abjectissimū homuncionem coram tali Reginâ comparentem?

Ut verò hanc recollectionē facile & sine tædio usurpes, expedit ut in promptu habeas aliquot versiculos quos vel Rosario, vel Officio B. Virginis, vel alijs ad eam precibus præmittas; exempli causâ hunc: Eia, mea labia, nunc annunciate laudes & præconia Virginis Beatæ; qui in principio perve-
tusti Officij de Immaculatâ Conceptione reperitur; vel hunc præfixum Hymno confecto

M A R I A N V S. §

Oratio à S. Casimiro : Omni die
dic MARIÆ mea laudes anima;
vel istum ab Ecclesiâ commu-
niter usurpatum : Dignare me
laudare te Virgo sacrata, da
mihi virtutem contra hostes
tuos.

Hanc praxim generalibus
terminis tradit S. Ignatius Soc.
J E S U fundator, dum docet in
libello Exercitiorum spirits-
lium hujusmodi recollectio-
nem ad quodlibet orationis
genus præmitti debere.

C A P V T II.

Secundum Exercitium
reverentiæ erga
B. V.

A 3 In

6 HORTVLVS

*In salutandâ Virgine nostras
vices Angelis commit-
tere.*

ERIT non exiguum tuæ
reverentiæ & submissionis
erga Virginem Matrem argu-
mentum, si in tuam reflectens
vilitatem, & ad ejus atten-
dens excellentiam, indignum
te reputes ejus præsentia & al-
loquio, ideoq; ad Angelos re-
curras supplex, ut in isto tam
sublimi MARIAM salutandi de-
precandiq; ministerio vices
tuas obire dignentur.

Conversus itaque ad Ange-
lum tuum Custodem, roga eum
per viscera misericordiæ divi-
næ, à quâ tibi datus est in Re-
ctorem & Magistrum, & per
ipsius in te paternum affectum,
&

M A R I A N V S. 7

& indefessam sollicitudinem,
 roga, inquam, ut quoniam tuæ
 indignitatis & infantiaë satis sit
 conscius, ipse, qui & decore
 suarum virtutum, & gloria or-
 namentis Virgini gratiosus est,
 ac præterea disertissimus, illi-
 usq; ministerij quod ipsi com-
 mittis, utpote, Angelici, peri-
 tissimus, MARIAM quâ decet
 reverentiâ & affectu, tuo no-
 mine salutet, exoretque quid-
 quid tibi ad profectum & salu-
 tem necessarium esse cogno-
 scit. Deinde id ipsum ab Ar-
 changelo Gabriële efflagita, ut
 Salutationem Angelicam Dei-
 paræ Virgini iterùm offerat
 tuo nomine, cum eâ reverentiâ,
 amore, jubilo, congratulatio-
 ne, similibusq; affectibus, qui-
 bus eam primùm pronuntia-

A 4 vit,

8 HORTVLVS

vit, quando à Sanctiss. Trinitate ad Virginem in Nazareth legatus, & divini partus nuntius extitit. Tu interim quasi videres, audiresque tum Archangelum Gabrielem, tum Angelum Custodem tuo nomine B. Virginem salutantes, eorum coram ipsâ demissionem velut à te exhibitam, eorum verba quasi jam tua offeres eidem Virgini.

S. Gerardus Chanadiensis in Pannoniâ Episcopus & Martyr cum aram in B. Virginis honorem erexisset, iussit ante eam thuribulum argenteum collocari, duosque provecæ ætatis homines adhiberi, qui id unum interdium noctuq; curarent, ne unquam incensum thuribulo suffitusve deesset. *Sur. in ejus Vita,*

M A R I A N V S. 9

Vita, 24. Septembr. Quod si tu pari honoris Mariani zelo salutationes precesq; tuas eo quo diximus modo Angelis (qui in sacrâ scripturâ ejus officij gratiâ thuribulum gestare perhibentur) commendâris, certo tibi persuadeas, illos flammis suę in B. Virginem devotionis, tuarum precum incensum tam odoratum gratumq; reddituros, ut optatam & plenâ impensam manu sis ab illâ benedictionem obtenturus.

Et sanè ad hoc exercitium incitamento nobis esse debent tot, & passim obviæ apparitiones, quibus evidenter nobis exhibetur, quàm promptè, quàm constanter, in quot, & qualia sese erga B. Virginem

A 5 obse-

IO HORTVLVS

obsequia impendant, effundantq; totos Angeli, ut merito illis accommodari possit illud Isaia: Qui sunt isti, qui ut nubes volant? *Isaia 60.* non tantum quia suo in his ministerijs fervore & promptitudine nubium celeritatem, & ut scriptura loquitur, volatum praevvertunt; sed quia sicut nubes multiplici formarum varietate sese spectabiles reddunt, nunc densae, nunc rarae, nunc leves & planae, nunc asperae & contractae in aggeres & rupes, nunc instar gurgitum profundae, nunc instar montium eminentes, in quibus innumeras dixeris pasci oviculas, adeo ut hiatus, ut voragine, coronas, praelia, Irim & similia φαινόμενα mortalibus ostentent, dum divinae de-

servi-

M A R I A N V S. II

serviunt providentiæ; sic Angeli dum MARIÆ famulantur, ejusque honorem & cultum promovent, varijs nobis apparent modis, nunc hanc, nunc illam induti personam, qualem exigunt, quæ obeunt, tam multiplicia ministeria: modò visi sunt thronum Reginae suæ, velut ipsius aulae Proceres circumstare; aliàs armati, & in cohortes distributi eam tutari, ejus honorem propugnare; aliquando ut justitiæ divinæ ministri in hæreticos Mariani nominis hostes gladium exerere; modo velut Oeconomi & Pincernæ cibum potumq; & ipsimet Virgini quotidie quamdiu in templo Hierosolymitano ante desponsationem degit, & sæpius ipsius cultoribus oppor-

A 6 tuno

12 HORTVLVS

tuno necessitatis tempore ministrare ; nonnunquam velut Pictores, ejus imaginem coloribus adumbrare ; sæpius quasi Musici, ejus nomen laudesque modulari ; aliquando velut Cæremoniarum Magistri varios ritus eam colendi mortales edocere ; denique velut libellis supplicibus Præfecti (quod ipforum est quotidianum ministerium) nostras preces Virgini reverenter offerre. Non opus est his omnibus testimonium quærere, plenissimæ sunt historia, & vulgò notæ.

CAPVT III.

Tertium Exercitium reverentiæ erga

B. V.

Sano

*Sanctissimum MARIÆ
nomen venerari.*

EXerceri potest hæc reve-
rentia multis modis.

1. Si nomen proprium MA-
RIÆ non temerè usurpes, sed
sæpius appellativis utaris: B.
Virgo, Mater Dei, Domina no-
stra, & similibus.

Imitaberis Archangelū Ga-
briëlem, qui ob Virginis reve-
rentiam initio salutationis à
proprio abstinuit nomine, di-
cens, Ave gratia plena, *Stella*
in cap. 1. Luca. postea tamen,
cùm videret eam ad tam ma-
gnificam compellationem præ
humilitate turbatam, usitatam
appellationem subjecit: Ne ti-
meas M A R I A.

2. Honorabis idem nomen,

A 7 reve-

14 HORTVLVS

reverentiam exhibendo, caput detegendo, te inclinando, poplites flectendo quando pronuntiatur.

Dedit enim tibi (inquit Idiota B. Virginem alloquens) tota supersancta Trinitas nomen, quod post nomen superbenedicti Filij tui est super omne nomen, ut in nomine tuo genu flectatur (uti manifestè patet) cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur hujus Sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem. *Libr. Conempl. de Virg. Mar. c. 5.*

Sanctus Gerardus, de quo supra, c. precedenti, Hungaros edocuit, ut proprium nomen Virginis rarò pronuntiarent, sed eam in familiaribus colloquijs

M A R I A N V S. 15

quijs Dominā vocarent; quod si nomen MARIAE aut protulissent ipsi, aut ab alijs prolatum audissent, statim flexis genibus, & demissis capitibus sese inclinarent.

3. Veneraberis Virginis nomen, cū illud scribis, pingis, sculpis, nitidè, decorè, devotè id præstando, quā decet internā externaq; reverentiā. *Canis. l. 1. de B. Virg. c. 1.*

Nam si ullum aliud venustū, præclarū, & gratiosum nomen ulli contigit mortalium, quod scribi, legi, decantari, pingi, sculpiq; mereatur, id MARIAE nomen censerī debet, dignum sanè quod in omnium oculos, aures, & mentes incurrat, magnaq; cum reverentiā, & privatim, & publicè nominetur.

Ad

16 HORTVLVS

Ad hoc devotionis & reuerentię exercitium nobis duces & Magistri præeunt Angeli, à quibus sæpissimè nomen MARIA, pulcherrimis characteribus, aureis, argenteis, versicoloribus exaratum fuisse constat, aliquando solum, aliàs simul cum Sanctissimo nomine IESV, nonnunquam etiam cum aliquâ Salutationis Angelicę parte.

Vulgare est quod legitur de quodam Monacho Cisterciensi, antea vetetano milite, qui Salutationem Angelicã (quam solam ex omnibus precum formulis ob tarditatem ingenij addiscere potuerat) ita menti infixerat, ut eam identidem ad momenta pœnè singula recitaret. Quod clientuli officium
Dei-

M A R I A N V S. 17

Deiparæ quàm acceptum fuerit, tum maximè patuit, cùm statim ab obitu ejusdem Monachi, arbor ex ejus tumulo, & verò ab ipsius ore prodijt, cujus singula folia aureis litteris nomen B. Virginis cum primis Angelicæ Salutationis verbis descriptum (indubiè ab Angelis) continebant. *Thomas Cantimprat. l. 2. apum, c. 29. p. 9.*

Idem nomen eodem cœlesti stylo, calamo, penicillo, iisdem Angelicis manibus sæpius in floribus, in vestibus, in aëre ipso sculptum, descriptum, pictumq; fuisse variæ confirmant historiæ.

Hanc ab Angelis nominis Deiparæ venerationem & affectum perdisce, & imitare, potissimum illud cordi tuo cum
ama-

18 HORTVLVS

amabilissimo nomine JESV imprimendo. Sit ergo cor tuum charitate Rosa, puritate Liliū, humilitate Viola, rerum cœlestium desiderio Hyacinthus, sit nominibus JESV & MARIAE, amorum nostrorum, insignitum. Tum verò quotidie manè, sicut flosculus sese ad Solem expandit, ita cor tuum ad omnis luminis fontem, & principium, ad Deum, verum animæ tuæ solem, converte, aperi per debitam gratiarum actionem, dilata per desideria ipsi placendi, firmaq; à peccatis abstinendi proposita, quæ si fragrantissimis nominibus JESV & MARIAE consignaveris. quàm gratum odorem Deo, B. Virgini, Angelis, cœlitibusq; omnibus flos cordis tui inhalabit!

Ubi

M A R I A N V S. 19

Ubi verò vesperì rursus instar
flosculi sese ad solis occasum
claudentis, in teipsum refle-
xus, dictis, factisque totius
diei ritè discussis, in medio
cordis tui dulcissima J E S U &
M A R I Æ nomina concludere-
ris, pacem omnino firmam
possidebis, in eaque feliciter
conquiesces.

4. Denique hoc nomen pe-
culiari cultu observabis, reci-
tando quinque Psalmos vel
Hymnos, quorum capitales lit-
teræ consent nomem MARIA.
Hi sunt: Magnificat, Ad Domi-
num cum tribularer, Retribue,
In convertendo, & Ad te le-
vavi. vel isti, Magnificat, Ave
Regina cœlorum, Regina cœli,
Inviolata, & Ave maris stella,
Pium profectò, ac singulare u-

nus

20 HORTVLVS

nus è Benedictinâ stirpe sanctissimi Viri inventum.

Hoc exercitium Joscio Religiosus S. Bertini Audomari, & vivus diu devoteq; usurpavit, & mortuus visus est voluisse posteris omnibus commendare. Nam ex ipsius defuncti capite, quinque rosæ miræ pulchritudinis prodiere, ex ore una (& in hac nomen MARIA litteris aureis exaratum erat) binæ ex oculis, & aliæ ex auribus binæ: Quas rosas, totidem miracula, non modò Religiosi omnes qui tum Monasterium incolebant, sed & Episcopus Atrebatensis, & Clerus, populusq; universus spectarunt, earumq; una ex ore educta (cæteris quatuor paulò post evanescentibus) crystallo inclusa,

&

& in altari reposita, nomen
Deiparæ, & Sanctitatem Jo-
scionis diu toti mundo atte-
stata est. *Vinc. Beluac. spec. Hist.*
l. 7. c. 116. anno Domini 1163.

Pone ô MARIA semper mi-
sericors, semper benigna, po-
ne, oro, amabilissimum nomen
tuum velut signaculum super
oculos meos, ut præventus be-
nedictionibus dulcedinis tuæ
respirem in luce miserationum
tuarum; pone item super aures
meas, ut de protectione tuâ se-
curus, non timeam in tremen-
do iudicio ab auditione malâ;
pone etiam super os meum, ut
in hâc vitâ, & in alterâ, recrea-
tus ab uberibus consolationis
tuæ, in æternum decantem
magnitudinem, & dulcedinem
nominis tui.

CA-

Quartum Exercitium
reuerentiæ erga
B. V.

*Honore prosequi ejus
imaginem.*

Primò. Curandum est cultori parthenio, vt in oratorio suo, vel in alio loco nitido, ornato, maximè conspicuo, B. Virginis imaginem, reuerenter deponat.

Quod sanctus Carolus Borromæus, pro suo singulari in Virginem affectu, sollicitè perfecit, ac inter cætera statuit, ut per totam suam diœcesim, supra fores templorum omnium parochialium Deiparæ effigies collocaretur. Censuit enim S.
Pon-

Pontifex, sicut non est in terris, teste D. Bernardo, locus dignior uteri virginalis templo, in quo filium Dei MARIA suscepit, nec in cœlis regali folio, in quo Mariam Mariæ filius sublimavit: ita eum locum, qui sanctitate, & dignitate præemineret cæteris, imagini B. Virginis deberi. Ad fores verò templorum eam conspicuam esse voluit, ut qui precaturi accedunt, moneantur sibi accessum ad Deum per B. Virginem procurandum esse, & neminem in cœleste templum admitti, qui eam non amet, colat, & quæ vulgò decantatur, & est Janua cœli.

Secundò. Eadem reverentia erga B. Virginem exigit, ut quoties ejus imaginem conspi-

24 HORTVLVS

spicaris, maximè si antè eam transeas, aliquod honoris signum, vel caput aperiendo, vel poplitem flectendo; vel aliquod aliud exhibeas.

Fuit semper hæc devotio cordi amatoribus Virginis: ut alios innumeros taceam, Margarita Hungarici Regis filia, ubicumque B. Virginis imaginem vidisset, flectebat genua, & Angelicam salutationem recitabat. *Sur. in ejus Vita 28. Januarij.* Et ut miraculo hoc reverentiæ exercitium confirmetur, visitur Afflegemij in Cœnobio S. Benedicti in Brabantia imago Deiparæ, quæ cum salutaretur à S. Bernardo dicente, Salve Maria, respondit intelligibili, & amicâ voce, Salve Bernarde. O beatam, &
 omni

omni dignitate sublimiorem,
 omnibus votis expetendam sa-
 lutationem! Crediderim ego
 duo hæc verba, velut totidem
 amoris jacula, tantâ dulcedi-
 ne, & cœlesti voluptate melli-
 flui Doctoris pectus transfixis-
 se, ut cor, & caro ejus exulta-
 verint præ teneritudine amo-
 ris, & sicut anima sponsæ lique-
 facta est, ut dilectus locutus
 est; ita tunc anima Bernardi li-
 quefacta sit, ut locuta est dile-
 cta. Idem meritò à B. Virgine
 tibi despondere potes amoris
 argumentum, idem tranquil-
 lissimæ voluptatis deliquium
 expectare, si te ipsi alterum
 Bernardum præstes.

3. Honorantur etiam ima-
 gines B. Virginis, si, cum præ
 manibus habentur, reverenter

B tra

tractentur, oscula pietatis ipsis figantur, laudentur & ipsæ, & potissimum illa, cujus sunt imagines.

Ludovicus Pius Imperator Caroli Magni Filius, cum venatum iret, secum B. Virginis imaginem deportabat, & in mediâ solitudine, positus humi genibus, devotè coram illâ suas preces fundebat. *Canis. l. 5. de B. Maria, c. 29.* Nimirum Pius & re, & nomine Imperator, nactus non feram, sed cœlestem sponsam, pij affectus venabulo, amoris plagam sibi à Virgine exposcebat, & ipse vicissim Virgini suâ devotione intentabat.

4. Sunt qui imaginem B. Virginis ex reverentiâ, & amore semper de collo suspensam gestant,

gestant, & velut cordi appref-
sam, vel saltem medallio rosa-
rij insculptam, aut alio modo.

Hic cultus imaginis B. Vir-
ginis, saluti fuit desperato cui-
dam Nobili in agro Eborensi:
de quo in litteris annuis Socie-
tatis J E S V, an. 1593. hic diu
deliraverat, cum ecce vice
quadam solus ad breve tempus
in cubiculo relictus thoracem
induit, in quo duo B. Virginis
numismata jampridem inclu-
serat, & aliud collo appendit;
tum instigante dæmone, præ-
cipitem se è fenestrâ in duris-
simos lapides dedit; sed persti-
tit illæsus; mirante interim
ipso dæmone, qui humanâ spe-
cie assumptâ, hominem menti:
impotem ad puteum perduxit-
abi ignarus eorum numismas

tum (volente DEO) quæ nobilis in thorace condiderat, suadet ut illud, quod è collo pende-
bat, ad os putei deponat, tum se in illum immittat: paret in
fœlix, ad imum demergitur; sed emerfit statim ad voces, quibus
opem B. Virginis implorabat, quæ continuò adfuit, suoq; mi-
serum conspectu solata, effecit, ut icunculæ illæ essent ipsi pro-
cucurbitis, nec ultra illas mer-
geretur; donec tandem extra-
ctus, sanus effectus est, & men-
te, & corpore.

5. Prodest etiam eadem re-
verentia & affectus in Virgi-
nem, si ejus imagines floribus
exornes, alijs vestias, & con-
decoros ornamentis, lampadi-
bus, cereisq; illustres.

Nec parùm sibi, licèt parvum
obse-

obsequium, gratum fuisse declaravit misericors Virgo, quæ vel ipsum desiderium hujus officij deferendi, copiosè remunerata est. Cùm enim pauper-cula cujusdam opilionis filia gregem pasceret prope ædiculam B. Virgini sacram, sed desertam, in quâ sola Virginis effigies visebatur inculta, & neglecta; frequenter incessabat eam desiderium locum istum à squalore, & neglectu vindicandi, & aliquid ornamenti in imaginem conferendi. Verùm cum obstaret pijs votis inopia, quod unum poterat, hunc animum suum Virgini Matri exponebat, & ornamentorum loco Angelicam salutationem identidem offerebat, & quidem per multos annos constanti sem-

30 HORTVLVS .

per pietate; donec febris correpta, & morti jam proxima, experientiâ didicit neminem à B. Virgine sperni, nullius affectum negligi, nullius obsequiû indonatum prætermitti. Adfuit enim morienti, tribus turmis beatarum Virginum stipata; earum imprimis, quæ virginitatem quidem, sed nullo voto obstrictam seruarunt; aliarum deinde quæ ejus votum nuncuparunt; deniq; aliarum quæ rosam martyrij virginitatis lilio innexuerunt. Inter has media virginum, & martyrum Regina, non dedignata est exile tugurium, in quo jacebat clientela, eamq; suo, & sui comitatus aspectu affatuq; mirificè solata, paulò post expirantis animam inter maternos exceptam

ptana

ptam amplexus, ferto pulcher-
rimo, quod manu tenebat, re-
dimitam, triumphantis in mo-
rem cælo intulit gloriosam.

Specul. exemp. dist. 19. exemplo

118. Quisquis similem glo-
riam, talem coronam, ejusmo-
di triumphum, post mortem
ambis à Virgine, vide ut tu il-
lam vicissim, dum vivis, fertis,
& coronis tuis exornes, ipsi-
usque nominis, & imaginum
gloriam cultu tuo, & debitis
obsequijs promoveas.

6. Solennior est supradictis
omnibus reverentia erga ima-
gines B. Virginis, quâ videlicet
illæ magnificâ pompâ, & so-
lemni supplicatione per urbes
deferuntur. Hujus pietatis ce-
lebre, & toti posteritati me-
morandum exemplum dedit

B 4 Joann̄

Joannes Zemiscus Orientis Imperator, dum deleto Bulgarorum Rege, & regno, Constantinopolim regrediens cum triumpho, ipse quidem albo equo vectus, venerandam verò Augustissimæ Virginis imaginem in curru triumphali, substratis ejus pedibus hostium spolijs, victricem deferri jussit. *Zonar. tom. 7.* Simile quiddam à Joanne Comneno Orientis item Imperatore præstitum narrabimus infra, *Areolâ 2. cap. 2.* Habet & Occidens suos Imperatores, & Principes, qui sanctâ æmulatione, zeloq; incensi, cum Orientalibus de pietate in B. Virginem congregiuntur. Nobile, & fœlix certamen, in quo de honorandâ Dei matre, cœlorumq; Reginâ

ginâ terræ Monarchæ decer-
tant: locus prælij, templa; ar-
ma, rosarium, aliaq; devotio-
nis in Virginem exercitia. Am-
plius amasse Mariam, vicisse
est; magis coluisse, triumphasse
est.

7. Postrema erga imagines
Deiparæ reverentia, tota posi-
ta est in earum cultu apud alios
procurando; & quidem apud
Hæreticos Iconoclastas, Lu-
theranos, Calvinistas, & simi-
les, earum honorem fortiter,
& solidè propugnando: apud
Catholicos verò, eorum fer-
vorem in cultu imaginū, con-
cionibus, privatis colloquijs,
exemplis, distributione earun-
dem imaginū, & istiusmodi in-
citamentis exsuscitando, con-
servando, adaugendo.

In

34 HORTVLVS

In prioris generis exercitijs, quæ aduersus hæreticos exeruntur, coryphæus & dux cæteris præire potest S. Joannes Damascenus, cui ob Deiparæ honoré, ejusq; imaginum cultum strenuè, & constanter, quâ eloquio, quâ scriptis defensum, exardescente in ipsum Leone Isaurico Imperatore Iconoclastâ, manus quidem amputata est, sed paulò post insigni miraculo in eundem usum ab Augustissimâ Virgine restituta.

Huc etiam spectat quod de S. Hyacintho legitur. *Ribad. 16. Augusti, in ejus Vita.* Cùm Tartaris subitò in templum irruentibus ipse asportato secum venerabili Sacramento fugeret, fugientem inclamavit statua quædam B. Virginis; fili
Hya

MARIANVS. 35

Hyacinthe, ut quid me deseris?
Sic ergo inimicorum meorum
opprobrijs me committes?
age, age, me cum filio meo aliò
transporta. at ille gravitatem
statuæ, utpote magnæ & ex
alabaſtro confectæ, cauſabatur:
Sed adjecit imago, ut ſeſe con-
fidenter aſſumeret, futuros pa-
res oneri humeros. Et verò
cùm appropinquaffet Hyacin-
thus, dulciterq; illachrymans
accepiffet in humeros imagi-
nem, ſenſit eam valdè leuem
eſſe: jamque pervenerat ad
Guariſthenen fluvium, nec
pons, nec navis ulla compare-
bat; itaque facto ſigno crucis,
ſacræ hoſtiæ, & ſtatuæ fretus
præſidio, ſubſtratâ chlamyde
ſicco illum trajecit veſtigio,
quod etiamnum viſitur.

In

In altero genere eorum quæ apud Catholicos attentantur & perficiuntur in honoré imaginum B. Virginis, maximè se spectabilem præbuit pietas B. Francisci Borgiæ, qui primùm Dux Gandiæ, postea Societatis JESU Religiosus, ejusque Generalis tertius fuit; Vir humilitate, sui despicientiâ & contemplationis studio eximius, ac in affectu erga B. Virginem singularis, quem cum multis alijs, tum maximè hoc exemplo comprobavit, quando primus depingendam curavit Deiparæ imaginem ad similitudinem ejus, quam S. Lucas depinxisse creditur, & quam asservatam in æde S. Mariæ Majoris præcipuo cultu Roma veneratur, ejusq; exemplaria plu-

plurima ad multos Principes virosq; primarios transmisit, & in Societatis domicilia omnia distribuit magnâ Deiparæ gloriâ, cultusque imaginum ejus incremento. *In ejusdem Vita lib. 3. cap. 10.* Unam ex his P. Ignatius Azebedius è Societate J E S V inclytus Martyr, & Virginis perstudiosus, ex urbe secum extulerat, cùm anno 1570. 15. Julij à Calvinistis Piratis, revertens in Brasiliam Provincialis, interceptus est cum alijs multis. Non aliàs magis Ignatij virtus, & in Deum ardor, ac in B. Virginem fiducia enituit; nam elatâ manibus eâ quam diximus imagine, strenui ducis officio functus, socios omnes ad generosè pro Christo occumbendum animavit;

¶

vit;

vit; cum eâdem imagine obviam hostibus prodijt, protestatus se pro Christi fide animam ponere; cum eâdem imagine, quam hæretici frustra extorquere conati sunt, acceptis tribus in pectore vulneribus & uno in capite, præceps in mare datus est. Et licet aliorum octo & 30 sociorum etiam Martyrum corpora in mare dejecta pessum ierint; corpus tamen B. Ignatij non subsidit, sed brachijs instar crucis expansis, quàm longissimè oculi sequi potuere, super aquas ferri non sine admiratione visum est; quod sacræ imagini, quam in manibus perpetuò retinebat, adscribi meritò debet. *Vit.*

B. Borgiæ l. 3. c. 10.

CA-

CAPVT V.

Quintum exercitium
reuerentiæ erga
B. V.

Honorare loca ipsi sacra.

A Des sacras, & altaria in honorem Augustissimæ Virginis erigere, magnæ in illam pietatis, & reuerentiæ argumentum est: nihil tamen de câ differimus, quia ad paucos spectat. Nihil etiam peculiare adferimus de eorundem templorum ornatu, quia pleraque eorum quæ superiori capite, de cultu, ornatuq; imaginum dicta sunt huc etiam referri possunt.

Præter hæc, honorantur loca sacra B. Virgini, peregrina-

tionem ad illa instituendo, quæ
duplicis generis esse solet.

Primò enim suscipi possunt
peregrinationes ad loca remo-
ta, celebria à cultu B. Virginis,
v.g. hinc ad B.V. Lauretanam,
Montisserati, Sichemiensem,
Foyensem; quæ quidem quâ
religione inchoari, quibus vir-
tutum exercitijs continuari,
quo fructu absolvi debeant,
optimè docet P. Richeomus in
suo peregrino Lauretano.

○ Nec cogimur procul à nobis
tempore locoùe distita quære-
re hujus pietatis exempla, cum
eam luce meridianâ splendi-
diorem paulò ante spectaveri-
mus Belgæ in Sereniss. Prin-
cipe nostro Alberto, Augustæ
memoriæ, qui novendialem
per singulos annos, ad B.V. Si-
chemi-

chemiensem, peregrinatione, comitante pari pietate Serenissimâ Infantâ Isabellâ conjugē, non intermisit, licet negotiorum mole penè obrutus, licet corporis infirmitate fractus, etiam paucis antè mortem mensibus; præterquã quòd plurima alia B. V. in Belgio sacra loca non semel inviserit, cereis votivis frequentissimè illustrârit, omnis generis ornamentis condecorârit; raro, & toti posteritati memorando in Virginem devotionis exemplo.

Secundò obiri possunt peregrinationes ad loca vicina, videlicet ad aliquod sacellum B. V. in eâdem urbe, locoque situm; cuius exercitij, quia familiare est multis, duas hîc praxes

proponemus, quæ vicissim,
prout libuerit, observari pote-
runt.

Primus modus visitandi
loca sacra B. V.

*Quid agendum in pro-
cessu.*

PRimò. Duos itineris comi-
tes adscibes, hinc Angelum
custodem, illinc unum aliquem
è præcipuis Deiparæ cultori-
bus. Angelo Custodi supplex
fies his verbis.

Obsecro te, Angelice spiri-
tus custos, & tutor meus fide-
lis, ut in via pacis, prosperi-
tatis, & salutis te duce diri-
gar, atque ab omni hoste, gra-
viq; tentatione defendar. Peto
etiam ut mihi clientulo tuo,
hanc

MARIANVS. 43

hanc gratiam impetres, quâ
B. V. amare, & ritè colere in
hac vita possim, donec tecum
laudes ejus in cœlis concinam
per omnia sæcula seculorum.
Amen.

Ad alterum comitem dices.
Eximie cultor, & amator B.
Virginis, B. N. impetra mihi
in affectu erga illam tui imita-
tionem, & in omnibus hujus
viæ, & vitæ periculis, tuâ apud
ipsam intercessione mihi suc-
curre.

Secundò. In itinere diver-
sam quasi personam indues,
juxta diversas in singulos dies
considerationes, quibus men-
tem tuam occupabis, recitato
uno ex hymnis in laudem Vir-
ginis.

Die Domínico Considera-

C 4

bis

44 HORTVLVS

bis te ut servum, & omni jure, nexuq; B. V. dominio mancipatum, ire ad honorandã tuam potentissimam Dominam, & Reginam. Recitabis Hymnum, Regina cœli. Comes erit S. Ignatius, qui de sæculi militia à B. V. sese ipsi in conspectum dante evocatus, ad alteram spiritalem, in monte Serrato suam conversionem auspicatus est, gladium suum istic Virgini anathéma suspendens, seq; totum ejus obsequio devovens; nihilq; non egit deinceps, ut per se, & per suos filios, istius Reginae nomen, & cultum per totum orbem terrarum propagaret. *Orland. in hist. Soc. l. I.*

Feriã secundã. Imaginaberis te ut peregrinum in hoc sæculo, multis erroribus, & periculis

M A R T I A N V S. 45

lis expositum, ire ad honoran-
dam tuam ductricem fidelissi-
mam. Comitum adscisces cum
Angelo Custode S. Domini-
cum, quem B. V. peculiari curâ,
& protectione direxit, quando
ad ipsius honorem adversus
hæreticos Albigenses propu-
gnandum, & cultum, præser-
tim in promulgando rosario,
promovendum, diversa loca
peragravit. Intetum dum iter
facis, cum affectu peregrini re-
citabis Hymnum: O gloriosa
Domina.

Feriâ tertiâ. Imaginaberis
te multorum criminum reum
ire ad honorandam tuam cle-
mentissimam advocatam, reci-
tabis Hymnum, Salve Regina.
Comes erit sanctus Bernardus,
qui mellifluè, ut solet, loquens

C 5 de

46 HORTVLVS

de MARIA advocatâ suâ: Filioli, inquit, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ: quo quidem sensu, affectuque, dum Spiræ in Ecclesia cathedrali recitat Salve Regina, æstu devotionis abreptus, flexit tribus diversis locis, ad postrema illa verba, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA! in cuius pietatis memoriam, tres laminæ ad eadem tria loca signanda sunt appositæ.

Feriâ quartâ. Cogitabis te ut discipulum rudem & ignarum, avidum tamen veræ sapientiæ, ire ad honorandam tuam sapientissimam Magistram. Recitabis Hymnum: Ave Regina cœlorum. Comes erit S. Augustinus, qui in medio positus
vul-

vulnerum J E S U , & uberum
M A R I Æ , sicut est pastus ab illis,
& cœlestis doctrinæ aquas hau-
sit in gaudio de fontibus Sal-
vatoris ; ita ab his lactatus est,
ac veræ sapientiæ dulcissimum
lac suxit.

Feriâ quintâ. Imaginaberis
te ut sponsum gratuito adama-
tum, & assumptum, tantis lon-
gè imparem sponsalibus, ire ad
honorandam tuam pulcherri-
mam, & dilectissimam sponsam.
Recitabis Hymnum: Inviolata.
Comes erit S. Joseph B. V.
Sponsus & Christi Domini nu-
tritius.

Feriâ sextâ. Reputabis te ut
infirmum, multisq; confossum
vulneribus, ire ad honorandam
tuam misericordem sospitatri-
cem, & medicam, matremq;

48 HORTVLVS

JESV Redemptoris, qui hac die
 medicinam de cruore suo tibi
 confecit salutarem. Recitabis
 Hymnum: Stabat Mater dolo-
 rosa Comes erit S. Franciscus,
 qui sanctæ paupertatis, & ab-
 negationis institutum, quod in
 æde B. Virginis, ejus authori-
 tate, & patrocinio suscepit, ita
 constanter ejusdem Virginis
 ope retinuit, & ad tantam
 amoris perfectionem perdu-
 ctus est, ut in vivam Christi
 crucifixi imaginem, susceptis
 stigmatibus, sit transformatus.
In ejus Virâ 4. Octob.

Die Sabbathi. Imaginabe-
 ris te ut filium dilectissimum,
 sæpè tamen degenerem, &
 prodigum, ire ad honorandam
 tuam amantissimam Matrem:
 Recitabis Hymnum, Ave ma-
 ris

ris stella. Comes erit S. Joannes Evangelista, qui à Christo Domino, de cruce donatus est B. V. in filium, ipsique vicissim B. V. in matrem.

Quando ad templum vel sacellum B. V. perveneris.

Exhibitâ Deiparæ Virginis imagini submissâ reverentiâ, flexis genibus, Litanias Lauretanas recitabis, subjungésq; ter salutationem Angelicam; primæ verò salutationi subnectes hanc oratiunculam:
O Domina mea sancta MARI-
RIA, sicut Deus Pater per
 omnipotentiam suam, te po-
 tentissimam effecit; ita mihi
 quæso adsis in hora mortis, ex-

C 7 pel-

50 HORTVLVS

pellendo à me omnem contrariam potestatem. Secundæ salutationi subjunges: O Domina mea sancta MARIA, sicut filius Dei tantâ te cognitione, & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines; ita in horâ mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobore, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. Post tertiam salutationem dices: O Domina mea, sancta MARIA, sicut sanctus Spiritus suum amorem plenè tibi infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima. Hunc modum recitandi ter salutationem Angelicam ipsamet B. V. edocuit sanctam Mechtildem,
pro-

M A R I A N V S. § I

promisitque, si illum observa-
ret, se ei in horâ mortis adfu-
turam.

In reditu à Sacello.

Recitabis Magnificat, & Te
Deum, vel aliquã partem Ro-
sarij, in gratiarum actionem
pro dono devotionis in B. Vir-
ginem, ijsdem ferè considera-
tionibus mentem occupando,
quibus in aditu te exercuisti.

Secundus modus visi-
tandi templa, aut sa-
cella B. V. sa-
cra.

In progressu.

Primò. Eisdem comites as-
sumes, & implorabis, qui
in

52 HORTVLVS

in priore modo diebus singulis assignati sunt.

Secundò. Contemplaberis aliquod iter ex ijs quæ B. Virgo, hanc mortalem vitam degens, confecit, ei te comitem dabis, ejus modestiam, devotionem, aliasq; virtutes in illo mysterio expressas imitari studebis, ad idque gratiam exposces, recitando Litanias Lauretanas.

Itinera verò hæc seliges in singulos dies.

Feriâ secundâ exhibebis B. Virginem menti tuæ, cognatam suam Elisabeth visitantem.

Feriâ tertiâ, euntem in Bethleem, ubi Christum peperit.

Feriâ quartâ, proficiscentem in templum Jerosolymitanum
sive

M A R I A N V S. 53

sive cum filium suum J E S U M
Patri æterno perfectissimâ de-
votione præsentavit, sive cum
eundem triduo amissum quæ-
sivit, ibidemq; indicibili suo
gaudio reperit.

Feriâ quintâ, ad euntem sæ-
piùs ad Christum Dominum il-
lis tribus annis extremis, quos
prædicando Evangelio impen-
dit.

Feriâ sextâ, sequentem Chri-
stum bajulantem crucem.

Sabbatho, post ascensionem
Christi loca sacra sæpiùs vene-
rationis ergò visitantem.

Die Dominico, gloriosè in
cælum assumptam.

In sacello.

Leges Rosarium eo modo
quo inferiùs traditur legen-
dum. *Areolâ 4. c. 2. 3. 4.*

In

54 HORTVLVS

In reditu.

Imaginaberis B Virginem, redeuntem ex ijs locis, ad quæ accedentē eam fueris prius comitatus, nimirum Feriâ secundâ redeuntem ex domo Elisabeth, Feriâ tertiâ, ex Bethleem in Jerusalem, & inde in Nazareth, &c. Die Dominico verò degustabis dulcissimum ejus in suos clientes amorem, singularemq; de ipsis curam.

Interim cum hæc omnia mente pertractabis, percurres voce quinque Antiphonas in honorem nominis MARIA, Magnificat, Ave Regina cælorum, Regina cæli, Inviolata, Ave maris stella.

Hoc exercitio visendi non ex curiositate, sed ex devotione, & honoris Parthenij zelo,
loca

M A R I A N V S. 55

loca sacra B. Virgini, vel ali-
 quâ ejus imagine celebria, plu-
 rimi magnam apud eandem
 inierunt gratiam. Inter cæte-
 ros D. Bernardinus, qui ado-
 lefcens, quotidie ad portam
 civitatis Senensis, quæ Camul-
 lia dicitur, accedere, ibiq; co-
 ram imagine B. Virginis, quæ
 iftic vifebatur, genua flectere,
 & Dei Matrem, fuam, uti vo-
 cabat, amicam & fponfam, re-
 verenter, ac suppliciter falu-
 tare folitus erat. Pofteaquàm
 verò à fæculi vepreto in amœ-
 num religionis hortum fra-
 grans cœlo fofculus à B. V.
 translatus eft, tantâ in eandem
 Virginem efferbuit pietate,
 quam varijs obfequijs decla-
 rabat, ut quadam die coro-
 nam magno animi fenfu reci-
 tantî

56 HORTVLVS

tanti Virgo spectandam se præ-
buerit, eumq; sic compellârit.
Bernardine devote mi famule,
multum mihi in tuâ devotio-
ne complacui, in cuius merce-
dem impetravi tibi à Filio
meo gratiam prædicandi, &
miracula faciendi: scito verò
te tandem in cælo gaudij mei
participem futurum. *Pelb. in
Stellar. l. 2. p. 2. a. 3.* Exinde Ber-
nardinus Concionator cele-
berrimus evasit, plurimaque
patrare cœpit miracula, va-
rijsque donis cælestibus af-
fluere.

CAPVT VI.

Exercitium sextum re-
verentiæ erga
B. V.

Hono

*Honorare omnia, quæ ad
ipsam aliquo modo spe-
ctant.*

Non tantum nomen Dei-
paræ, ejusq; imagines, &
templa locaue ipsi sacra hono-
randa sunt, sed quidlibet aliud,
quod ad ipsam aliquatenus re-
fertur, qualia sunt, Rosarium,
Officium ejus, Psalterium,
itemq; libelli, qui vel preces
continent, vel ejus vitam, mi-
racula, laudes posteritati com-
mendant. Item res quælibet
ipsi sacræ, anathémata, & do-
na votiva, deniq; parentes, &
affines ejus, ac omnes ipsius
cultores eo nomine à nobis
honorandi sunt, quòd ab ipsis
Virgo honoretur. De singulis
nihil opus pluribus disserere;
ma

nam sequentes areolæ horum exercitiorum flosculos plures proferent. Quæ duo de Rosario subijcio exempla, ceterorum instar erunt.

Proficiscens Vincentiam Antonius è D. Francisci instituto, in medijs agris largissimo deprehensus est imbre: cum nihil occurreret quo se tegeret, Rosarium suo capiti imposuit, deprecans Virginem, ut à se pluviam arceret. res mira! vix protulerat verba, & ecce velut si Rosarium in tectum amplissimum solidissimumq; conversum fuisset, ita eum texit & protexit, ut ad urbem usque progressus sit, ne levi quidem pluvix guttà respersus. *Chron. Minorum p. 3. l. I. c. 36. & 37.*

Alani Dominicani eò magis
memo

memoranda Rosarij veneratio, quò in majoribus malis præfens illi auxilium accersivit. Antequam in S. Dominici familiam transisset, eodem authore Rosarium in magno precio habebat, illudq; flexis genibus quotidie recitabat: nec exiguo fructu; nam cum miles dimicaret contra Hæreticos Albigenses, & ab hostibus undequaque cinctus in magno versaretur discrimine, adstitit illi visibili formâ Virgo Mater, & centum quinquaginta lapides ipsa suâ manu in hostes jecit, magnamq; eorum stragem edidit, reddiditque victorem clientulum suum. Sed alterâ vice, cum naufragium idem Alanus passus periclitaretur in medio mari, repentè D. V. in dubio

dubio favore è profundo emerserunt longâ serie ad littus usque centum quinquaginta monticuli, per quos in continentem incolumis evasit. Diceres centū quinquaginta Rosarij globulos in totidem colles fuisse transmutatos. Illud verò singulare hujus devotionis testimonium, quòd Alanū jam mortui, non modò os, quod tam piè, & toties salutationes Angelicas pronunciârat, sed & manus, quæ Rosarium reverenter gestârant, visæ sunt instar crystalli collucere. *Chron. S. Dominici l. I. c. 34.*

Quàm misericors MARIA, quæ tam levia servulorum officia, tanto repondit fænore! cujus benignitatis ut effectus experiaris uberes, stude res
 quas

M A R T I A N V S. 61

quascumq; ipsi sacratas magni-
facere, & honorare, Contra
verò cave seriò ne ijsdem pro-
phanè abutaris, justissimam
Virginis provocaturus indi-
gnationem, prout te sequens
docebit historia. In Sodalita-
te quadam Partheniâ duo cala-
mi pulchrè exornati destinati
erant scribendis tum litteris,
quas Sodales aliò commigran-
tes deferre solent, (Patentes
vocant) tum alijs rebus ad
Congregationem spectantibus.
Horum unum juvenili furto
surripuit unus è Sodalibus, qui
licèt se sæpiùs à D E O ad Re-
ligiosum institutum vocari sen-
tiret; prævalente tamen amo-
re in quandam mulierculam,
aliud agebat. ad eam porrò
cùm aliquando statuisset scri-
bere,

D bere,

62 HORTVLVS

bere, ac furtivum calamum
sumpsisset manu, illicò sibi sen-
sit alapam infligi, simulq; vox
ad aures: Etiamnè sceleste, rem
mihi dicatam temerare audes
impuro nisu? Attonitus hác
pronuntiatione, & verbere,
resipuit; mansit tamen ad ali-
quot dies nota plagæ acceptæ,
ut appareret ab aliâ vi quadam
majore, quàm ab humanâ im-
pactam. *Bonifac. in hist. Mar.
l. 5. cap. 1. ex Bencio.*

CAPVT VII.

Exercitium septimum
reverentiæ erga
B. V.

*Exhibere illi cultum Hyper-
dulia per genufle-
xiones.*

Hyper-

Hyperdulix cultus, medius est inter cultum Patriæ soli DEO debitum, quo inferior est, & cultum Dulix alijs Sanctis convenientem, quo superior est. Competit autem D. Virgini, ob ejus excellentiam. Exercebis eum hoc modo per genuflexiones.

Primò. Stans ante oratorium, vel coram imagine B. Virginis, contemplaberis eam in sublimi folio, super omnes Angelorum choros exaltatam, Filio proximam, plenissimam majestatis, inter omnes creaturas longè excellentissimam.

Secundò. Advertes quomodo omnes omnium ordinum Angeli & homines Beati coram illâ Reginâ suâ & Dominâ procidant, reverentiam

64 HORTVLVS

ei demississimam exhibentes.

Tertiò. Tu verò protestans te postremum fervorum ejusdem Virginis, & indignissimū, qui ad tam nobile consortium, ad tam sublime ministerium admittaris, fretus autem ejus benignitate, internā reverentiā te illi profundissimè submittes, cancellatis brachijs, vel manibus junctis, devotè, & humiliter genuflectes nihil exterius proferendo, aut si mavis, pronuntiando hæc duo verba, *Salve MARIA, vel Ave MARIA.*

Quartò Paulò post surgens, & iterum te, uti prius, recolligens, cum totā curiā cœlesti, denuò coram B. V. genua flectes, & sic alias, & alias exhibebis genuflexiones, quot discreta

screta

MARIANVS. 65

sceta devotio tibi suggeret.
Hoc exercitium poteris ter in
die commodè repetere, in ho-
norem quindecim mysterio-
rum Rosarij.

Summo manè, ubi surrexe-
ris, genuflectes quinquies in
honorem quinq; mysteriorum
gloriosorum, quorum primum
eo tempore adimpletum est,
scilicet resurrectio Christi Do-
mini. Recoles autem illa my-
steria, si genuflectens, mente
tantùm, vel ore simul, dixe-
ris Salve MARIA, cujus filius
resurrexit; Salve MARIA, cujus
filius in cœlos ascendit, & sic
de cæteris.

Sub meridiem iterùm genu
flectes in honorem quinq; my-
steriorum dolorosorum, quo-
rum præcipuum tunc peractum
D 3 est,

66 HORTVLVS

est, videlicet crucifixio Christi Domini.

Vesperis ante cubitum rursus quinquies genua flectes in honorem quinque mysteriorum gaudiosorum, quorum primum Annunciatio Angelica, à multis Auctoribus traditur tunc impletum.

In solemnitatibus Deiparae, singulis vicibus, unam adjunges genuflexionem in honorem ejus mysterij, quod tunc recolitur.

Familiaire fuit hoc exercitium plurimis B.V. cultoribus. B. MARIA Oegniacensis aliquando intra diei, & noctis spatium millies & centies genuflectens salutabat Deiparam, & hoc salutandi officium ad quadraginta dies continuabat. *Sur. in ejus Vita, 23. Junij.*

De

De simili neglecto in Virgine obsequio ferunt graviter redargutum Religiosum, qui, cum in lecto jacens ex pigritiâ consuetudinem genuflectendi ad salutationis Angelicæ pulsus omisisset, nocte sequenti vidit in somnis campanile templi ita tribus vicibus inclinari, ut illius fastigium penè terram tangeret, audivitq; vocem increpantis; Piger homuncio, ecce insensibiles creaturæ coram B. V. DEI Matre sese inflectunt; & tu ratione præditus id ipsum negligis præstare? *Pelbar.*

CAPVT VIII.

Exercitium octavum reverentiæ erga

B. V.

D 4 *Enm-*

68 HORTVLVS

*Eundem cultum Hyperdu-
lia repetere sese humi pro-
sternendo, & terram ex-
osculando.*

T Ribus etiam vicibus usur-
pare poteris hoc exerci-
tium, quod priori satis est si-
mile.

Primùm. Stans immotus con-
templaberis B. V. ad supremum
cœli empyrei fastigium evectã,
in regali, & magnificentissimo
folio collocatam, spectante, &
applaudente totã cœlesti curiã,
à sanctissimã Trinitate corona-
tam coronã duodecim stellarũ,
quæ designant duodecim ejus
privilegia, seu virtutes, earum-
que præmia, quibus supra cæ-
teras creaturas in excellentis-
simo gradu donata est.

De-

M A R I A N V S. 69

Deinde concipies ardens desiderium, aliquid conferendi ad hunc triumphum, & gloriam B. Virginis, & teipsum totum in honorem ejusdem impendendi. In eum finem hanc orationem recitabis.

O Excellentissima Virgo Mater DEI & Regina nostra, ecce vilissimus, & tuorum famulorum pauperrimus, me tibi sisto, & dono in mancipium; duo minuta mea corpus & animam tibi offero in perpetuum peculium; de voveo in obsequium tuum, intellectum, & memoriam, ut de cogitem; cor, ut te ferventer amem; caput, ut illud inclinem in honorem tuum; manus, ut illas jungam; genua, ut illa coram te supplex flectam; linguam, ut tibi benedicam;

cam;

cam; deniq; totum corpus, ut
illud ad honorandam majesta-
tem tuam prosternam.

Tum in præsentia totius cu-
riæ cœlestis, quasi comes esses,
& socius Beatorum idem præ-
stantium, genuflectens recita-
bis divisim ter orationem Do-
minicam, & duodecies saluta-
tionem Angelicam, in hono-
rem duodecim prærogativa-
rum B. Virginis, & post singulas
salutationes, humi te proster-
nens, terram osculaberis.

Modus autem partiendi has
orationes hic erit.

Manè leges primam oratio-
nem Dominicam in honorem
DEI Patris, qui coram totâ
Curiâ cœlesti MARIAM Virgi-
nem filiam suam coronavit;
deinde cum sanctis Patriarchis
salu-

M A R I A N V S. 71

salutabis B. Virginem, legendo primum Ave MARIA in honorem excellentissimæ ipsius fidei, & spei, quâ majorem non habuit ulla pura creatura. Secundum Ave MARIA leges cum Prophetis in honorem sublimis contemplationis ejus. Tertium cum Apostolis in honorem ferventissimæ charitatis, & zeli ejus. Quartum cum Martyribus in honorem supremæ fortitudinis, & magnanimitatis ipsius. Post singulas, uti prius dictum est, terram osculaberis.

Sub meridiem recitabis secundam orationem Dominicam in honorem DEI Filij, qui MARIAM Virginem Matrem suam coronavit. Subnectes quatuor alias salutationes
Ange-

72 / HORTVLVS

Angelicam in honorē quatuor sequentium privilegiorū: primam cum SS. Doctoribus in honorē sapientiæ, & discretionis ejus; secundam cum Sacerdotibus, sanctitatis; tertiam cum Religiosis, paupertatis, & obedientiæ; quartam cum Eremitis, solitudinis, & orationis.

Vesperis tertiam orationem Dominicam leges in honorem Spiritus sancti, qui MARIAM Virginem sponsam suam coronavit. Subjunges quatuor salutationes Angelicas in honorem quatuor aliorum privilegiorum, 1. cum sanctis Confessoribus, in honorem patientiæ ejus; 2. cum Virginibus, virginitatis; 3. cum Viduis, humilitatis; 4. cum conjugatis, fidelitatis, & concordia.

Non-

Nonnunquam in locum præcedentium privilegiorum recogitari poterunt sequentia, *ex S. Bernard. serm. signum magnum.* Manè 1. copiosissima gratia B. V. infusa in conceptione. 2. suprema dignitas in Angelica salutatione. 3. Spiritus S. superventio. 4. Filij DEI conceptio. Sub meridiem 1. quòd Virgo fuit sinè maculâ, & Virginitatis primiceria. 2. sinè corruptione fœcunda. 3. sinè gravamine gravida. 4. sinè dolore puœpera. Vesperi 1. fidei magnanimitas in credendo. 2. profunda humilitas in obediendo. 3. maxima verbi discretio in loquendo. 4. summa perfectio, & perseverantia operis in agendo.

Alio modo explicatum hoc

E

EXCR-

74 HORTVLVS

exercitium reperitur, in Appendice speculi exemplorum, ibique vocatur corolla B. Virginis, cum videlicet tres orationes Dominicæ, & duodecim salutationes Angelicæ, in honorem duodecim privilegiorum supradictorum, eodem tempore recitantur. In cuius exercitij commendationem quod ibi adfertur exemplum, hic prætermitti non debet.

Dederant sese tres Viri in viam peregrinationis ergo, ex quibus duo alium tertium prætergressi, & in sylvam ingressi, à latronibus primùm vestibus, deinde vitâ spoliati sunt. Paulo post tertius, qui corollam B. Virginis, magnâ pietate, & constantiâ quotidie solitus erat recitare, socios secutus, sylvam-

vamq; ingressus, & ipse iisdem
 prædonibus præda factus est,
 jamque trucidandus ab ijs hoc
 unicum obnixè petijt, ut sibi
 tantillum vitæ spatium conce-
 derent, quo de more posset B.
 V. corollam percurrere. impe-
 travit. Movit verò materna
 Deiparæ viscera, sui tam de-
 voti clientuli extremum peri-
 culum; Illicò advolat suppetias
 latura, eique nihil quidem ho-
 rum conspicanti assistit sole
 splendidior; & in aureo thro-
 no, gloriæ dignitatishq; plenissi-
 ma confidet. Stipabant utrum-
 que latus S. Catharina, & S.
 Lucia singulares istius pauper-
 culi patronæ. Spectabant hæc
 Latrones irreflexis oculis, vi-
 debantq; ad singulas orationes
 Dominicas rubicundam, ad sa-
 E 2 luta-

lutationes Angelicas candidam
rosam ex ore recitantis prodi-
re, quas iussu B. V. colligens S.
Catharina, S. Luciae tradebat,
aureo circulo, filo argenteo
innectendas. Absoluto penso,
sertum Virgineis confectū ma-
nibus ipsamet Virginum Re-
gina capiti clientuli imposuit,
sicq; in cœlum cum comitatu
digressa disparuit. Tum deni-
que sibi, & paulò post DEO
redditi Latrones, narrant ca-
ptivo quod suis ipsi oculis spe-
ctassent, corollamq; capiti ejus
impositam certissimum verita-
tis argumentū ostendunt. Stu-
por, an exultatio, in illo major
extiterit, nescio. Persensit verò
Virginis beneficium, & ut in
ejus se famulatum dein ple-
niùs traderet, religionem in-
gressus

gressus est. Latrones verò illi
prioris vitæ flagitia damnan-
tes, mores suos ad normam
Christianæ virtutis, & sanctita-
tem composuerunt.

C A P V T IX.

Exercitium nonum re-
verentiæ erga

B. V.

*Nihil negare, quod quidem
licite, & prudenter concedi
possit, petenti in hono-
rem B. V.*

Hoc exercitio velut hamo,
sed vitali in nasam S.
Francisci pellexit B. V. Ale-
xandrum Alensem, insignem
doctrinâ, & in ipsam Virginem
pietate, cujus hoc evidens te-

E 3 stimo-

78 HORTVLVS

stimonium, quòd voverat se
 nihil negaturum quod in eius
 honorem & amorem petere-
 tur. *S. Anton. 3. p. hist. 24. c. 8.*
 §. I. Convénit illum quadam
 die unus è Franciscana familia,
 & post varia de rebus spiritua-
 libus colloquia Quidni, inquit
 Religiosus, sæcularem vitam
 deseris, & te DEO in Religioso
 statu devoves? Ego te in ho-
 norem B. V. rogo, ut nostrum
 Ordinem ingrediaris. Primùm
 percussus fuit tam inexpectatâ
 petitione Alexander; paulò
 post tamen, voti sui memor, &
 DEO fortiùs intus urgente, &
 permovente, promisit se illi-
 cò præstiturum, quod petie-
 rat; atque ita ob B. V. reve-
 rentiam, & amorem, Ordini
 nem S. Francisci est ingressus,
 eum.

eumque suâ doctrinâ mirificè illustravit.

Quisquis seriò incumbis in extirpationem alicujus imperfectionis, huic exercitio animum adijce, singulis diebus manè seriò, & ferventer à te- metipso pete, ut in honorem B. V. abstineas ab illâ imperfectione ad unum diem, saltem ad tres horas, si talis sit imperfectio, in quam frequenter incidas. Deinde elapso hoc tempore, id ipsum denuò pete, ut & ad alium præterea diem, vel ad alias tres horas, adstineas, ac similiter deinceps, donec opitulante B. Virgine, victor evaseris. quod si quandoq; emergentibus occasionibus gravior te vexet tentatio, urge fortiùs te ipsum. Tunc B. V. desideran-

E 4 tem,

80 HORTVLVS

tem; rogantem, obsecrantem,
ut ab illâ imperfectione absti-
neas, non exaudies pro suâ re-
verentiâ ?

Consimili industriâ D. Bern-
ardus nobilem quendam Gal-
lum ad meliorem vitam tra-
duxit; nam post tentata frustra
alia remedia ut avocaretur à
graviori quodam crimine: A-
gedum (inquit S. Bernardus)
quandoquidem diu abstinuere
non potes ab isto peccato, sal-
tem abstine ad triduum in ho-
norem DEI; abstinuit: ac post
illos tres dies, iterùm rogavit
Sanctus, ut & ad alios tres absti-
tineret in honorem B. Virgi-
nis; Consensit. Denique post
illos tres dies, abstinuit & ad
alios tres, in honorem omniũ
Sanctorum, pro ut rogatus fue-
rat;

MARIANVS. 81

rat; donec deniq; ad D. Bernardum reversus, non jam trium dierum inducias, sed pacē cum DEO perpetuam inire se velle renunciavit, in alium jam hominem transmutatus. *De la Puente t. 3. de perfect. Christ. tract. 2. c. 8. ex spec. exempl.*

CAPVT X.

Decimum Exercitium
reverentiæ erga
B. V.

Bona sua proposita illi consecrare, & consignare.

Purimum momenti habet ad perfectionem, & salutem consequendam, si bona desideria, & proposita quoti-

E 5 die

die concipias coram B. Virgine, eique conignes in sacratissimas ejus manus, aut deponas in sanctissimo ejus gremio, velut in sacrario, vel coronæ ejus perinde ac stellulas quasdam adijcias, ut hac praxi efficacius movearis, propter reverentiam ejusdem Virginis, ad exequenda proposita, simulq; fiduciam concipias, auxiliij ab ipsa impetrandi.

Ad hoc te excitat D. Bernardus *Sermone in Nativ. Mariae*. Quidquid illud est, inquit, quod offerre paras, MARIAE cōmendare memento, & paulò post: Istud modicum quod offerre desideras gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIAE manibus offerendum tradere cura. Quod si sedulè

Aulò hoc peregeris; procul du-
 bio experieris in negotiatione
 spiritali faventem Virginem,
 sicut in còmercio terreno ex-
 pertus est quidam mercator.
Vincent. Beluac. spec. hist. l. 7.
c. 82. Hic Constantinopoli mu-
 tuò sibi datam à Judæo pecu-
 niam, adhibitâ B. V. quasi fide
 jussore, coram ejus imagine
 promiserat se statuto die red-
 diturum; sicque Judæo acqui-
 escente, perrexit cum pecuniâ
 Alexandriam, ibique feliciter
 negotiatus est; interim dies
 imminebat debiti persolven-
 di, atque ita propè jam aderat,
 ut tantillo tempore nec Ale-
 xandriâ Constantinopolim ipse
 mercator reverti, nec pecu-
 niam suam per alium trans-
 mittere posset. Quid ageret?

E 6 mirum

84 HORTVLVS

mirum inquit consilium, quod
 rara in B. V. fiducia illi sug-
 gessit. Conclufit debitam pe-
 cuniam in arculâ, quam suo fi-
 gnavit annulo, cum hâc inscri-
 ptione; Suscipe Abraham (hoc
 erat nomen Judæo creditori)
 pecuniam, quam à te mutuam
 accepi. Hanc arcam pridie ejus
 diei, quò fuerat pecunia per-
 solvenda, imposuit mari, sup-
 plicans B. Virgini, ut eam Con-
 stantinopolim in manus credi-
 toris Judæi dirigeret; Mirum!
 Dirigente Virgine per tot ma-
 ris spatia unâ nocte pervenit
 arca ad littus Constantinopo-
 litanum, & quidem in manus
 ipsius Judæi, qui tunc in litto-
 re ambulabat. sed non hic finis
 miraculi; perfidus Judæus ar-
 cam absconderat, negabat pe-
 cuni-

cuniam sibi redditā esse, eamq;
 à Catholico debitore Constan-
 tinopolim postea reverso in-
 terpositā magistratus authori-
 tate exigebat injustissimè; imò
 ausus est (quia deficientibus
 alijs testimonijs ad hoc adige-
 batur) coram imagine B. V. ju-
 rare, se debitam pecuniam non
 recepisse. vix juraverat, cū
 imago palàm omnibus audien-
 tibus in has voces erupit; Men-
 tiris, quoniam arcam cum pe-
 cuniā accepisti, & abscondisti.
 Percussus hoc prodigio, & tan-
 tæ rei novitate permotus Ju-
 dæus, scelus suum factus est, &
 Deiparæ potentiam juxtà &
 misericordiam agnoscens, in
 Christianæ Religionis statuta
 juravit.

Hanc in Virginem fiduciam

E 7 imi-

86 HORTVLVS

imitare, & desideria perfectionis acquirendæ, proposita vitæ emendandæ, nuntiumq; vitij remittendi, concipe coram B. Virgine, eiq; cum omni reverentiâ configna; ne dubites, etiamsi multæ gravesque sese opponant difficultates, & remoræ. quasi per mare vadis, scopulis, syrtibus, tempestatibusq; infame, Virgo Mater periti naucleri functa vice, tua illa vota, & proposita diriget, perducetq; ad portum optatæ, & fœlicis executionis.

Hâc erga B. V. reverentiâ & amore velut sigillo fortissimo S. P. N. Ignatius obsignavit primum suum propositum vitæ melioris, & simul cum habitu suo militari in Montiserrati sacerario, atque adeò in ipsiusmet

Vir-

Virginis materno sinu confi-
gnavit. Idem postea prima sua
vota & soc. Parisijs in sanctissi-
mę Matris æde, quę mons Mar-
tyrum dicitur, ipso die Assum-
ptionis, ac deniq; suam, & So-
ciorum solemnem professio-
nem Romæ ad D. Pauli in sa-
cello item B.V. velut ipsi in
manus tradidit.

Nec alia ejus mens fuit, cùm
formulæ vötorum Societatis
interferuit hæc verba (coram
sacratissimâ V. MARIA) quàm
ut filios suos edoceret, sicut
vota, ita & omnia bona pro-
posita coram B. Matre edenda,
eique commendanda esse, ut
partim ejus reverentiâ, partim
de ejus auxilio fiduciâ prom-
ptiores reddat ad illa effe-
ctui mandanda.

H O R.



HORTULI MARIANI

Areola secunda

ROSARUM.

*In qua continentur varia
exercitia amoris erga
B.V.*

ECce tibi alterum florem
hortuli Mariani, Amoris
rosam, quam si devotè, dili-
genter, constanterq; carpseris,
fertum longè fragrantissimum
gratissimumque Virgini con-
texes.

In primis autem curandum
tibi est, ut amorem quàm po-
teris vehementissimum, tener-
rimumq; in B.V. toto conci-
pias

M A R I A N V S. 89

pias pectore, frequenter, præ-
fertim matutinis temporibus,
cùm te illi, tuaq; devoves, in-
sistendo contemplationi tum
pulchritudinis & perfectionis
ejus, tum eximie in omnes ac
singulos homines misericor-
diæ, quæ duo, sunt illecebra, &
fomes amoris in ipsam. De-
inde, ne hic, quo in matutina
meditatione exarseris & effer-
bueris, lentescat affectus (ut
sæpè fit intercurrentibus per
diem distractionum & occupa-
tionum terrenarũ lenocinijs)
fovendus, exsuscitandus, &
confirmandus est frequenti-
bus, sed brevioribus confide-
rationibus & aspirationibus, ac
diversorum actuum exercitijs,
prout sequentes docebunt
praxes.

C A.

90 HORTVLVS

CAPVT I.

*Contemplatio prima ad exci-
tandum amorem in B. V. ob
ejus pulchritudinem &
perfectionem.*

Pro compositione loci Ima-
ginaberis B. V. decore &
gloriâ refulgentem in medio
Angelorum, & hominum, in
quam omnes omnium sancto-
rum affectus tendant.

Oratio petitoria gratiæ, quâ
possis tantisper agnoscere, &
degustare, quàm sit amabilis
Virgo ob suam pulchritudinem
& perfectionem.

Primum Punctum.

*Consideratio multitudinis &
magnitudinis perfectio-
num B. V.*

Con-

Contemplare B. V. in me-
 dio universi ex corde suo
 velut ex arcu quaquaversum,
 supernè infernè, dextrorsum,
 sinistrorsum, longè, lateq; in
 corda innumera, hinc indè di-
 sperfa, sagittas suas evibrantè,
 quæ sagittæ non sunt aliud,
 quàm perfectiones ipsius, quæ
 contemplatores suos Angelos
 & homines admiratione, DE-
 ym ipsum amore transfigunt,
 & vulnerant. *Tota pulchra es,
 amica mea, tota pulchra es, &
 macula non est in te; Cant. 4.*
 Omnis expers culpæ origina-
 lis, & actualis vel levissimæ;
 pulchra in animâ, pulchra in
 hac vitâ per gratiam, pulchra
 in alterâ per gloriam, in omni-
 bus & per omnia amabilissi-
 ma: nimirum quia primoge-
 nita

nita prodixit ex ore altissimi; *Eccles. 24* prior ordinata, prædestinata, electa, jure primogenituræ à Patre cœlesti dotata, & ornata est supra cæteras creaturas: imò quidquid alibi bonum, quidquid pulchrum, quidquid sanctum, quidquid amabile in singulas dispersum est creaturas, id omne simul unitum reperitur in MARIA.

Affectus amoris.

Ex hac consideratione elicies 1. affectum amoris: gaudebis, & exultabis de tantâ Virginis amabilitate, & de tot ejus perfectionibus, quas omnes ita illi voles, ut si in tua foret potestate, & ipsa ijs careret, omnino & lubentissimè eas ipsi donares. Hoc vehementi amoris
affe-

affectu incensus fuit Carolus
 S. Brigittæ filius, qui magnam
 ex contemplatione perfectio-
 num Deiparæ, & præsertim
 quòd esset à Christo Domino
 in Matrem electa, percipiebat
 animo voluptatem, protesta-
 baturq; identidem, si possibile
 esset B. V. uno momento à di-
 gnitate, in qua est modò, exci-
 dere, ego, inquebat, ne id fe-
 ret, eligerem potius æternum
 inferno cruciari. Extasis ista
 amoris est !

Secundum Punctum.

*Consideratio perfectionis, &
 pulchritudinis ex-
 ternæ B. V.*

Postquam cõsideraveris ex-
 cellentiã perfectionis Vir-
 ginis

ginis in genere, adijce animuſque
 ad ſingulas eius partes, & re-
 flecte primò ad eam, quæ ſeſe
 prima oculis offert, pulchritu-
 dinem externam, ſive quæ ex
 admirabili, & eximio decore
 corporis, ſive quæ ex fulgen-
 tiſſimâ ſpecie virtutum, mode-
 ſtiæ, verecundiæ, manſuetudi-
 nis, & ſimilium conſurgebat.
 Expende, & deguſta quod de
 illâ à ſe conſpectâ fertur ſcri-
 pſiſſe S. Dionyſius Areopagita,
 vel potiùs incertus alter au-
 ctor, *In epistoſa ad S. Paulum.*
 Tantus (inquit) ad præſentiam
 Virginis me ſplendor circum-
 fulſit exteriùs, & pleniùs irra-
 diavit interiùs, tanta in me
 omnium odoramentorù ſuper-
 abundavit fragrantia, ut nec
 corpus infelix, nec ſpiritus poſ-

ſer

set totius ac tantæ fœlicitatis
 insignia sustinere: defecit cor
 meum, defecit Spiritus meus
 tantæ glorię majestate oppres-
 sus. Testor, qui aderat in Virgi-
 ne, DEVM, si tua divinâ mente
 concepta non me docuissent,
 hanc verum esse DEVM credi-
 disse. Hæc ille. Si tanta fuit
 pulchritudo B. V. in hac la-
 chrymarum valle peregrinan-
 tis, quanta jam est in cœlesti
 regno triumphantis?

Affectus Amoris.

Te ipsum totum, & tam ani-
 mæ quàm corporis vires, & fa-
 cultates impendes in celebran-
 dâ Virgine tam speciosâ, eam-
 que cum Blosio singulari ipsius
 amatore compellabis: *In pre-*
sentis pijs endologiâ 4. AVE MA-
 RIA,

96 HORTVLVS

RIA, Virgo ornatissima, Virgo sole serenior, astris lucidior, Virgo melle dulcior, & balsamo suavior, Virgo rosis rubicundior, & lilijs candidior, ultra omnem pulchritudinē decora, ultra omnem honestatem gratiosa. Desiderabis insuper, posse uti omnium hominū & Angelorum vocibus, & ludere omnibus cujusque generis instrumentis, ut excellentissimo quodam concentu, & harmoniā affectuosissimē vel semel modulari possis, ita ut cælo terraque resonet nomen MARIAE.

Hujus tam teneri affectus exemplo nobis est P. Petrus Faber Societatis JESU, vir sanctitate illustris, & unus è decem primis socijs S. Ignatij. In
vigi-

vigiliâ Assumptionis cum Spi-
 ræ in templo Deiparæ primis
 vesperis interesset, & magno
 apparatu res ageretur, plurimâ
 candelarum luce facumq; ful-
 gore, pretiosâ veste parietum,
 vario vocum sonorumq; con-
 centu, expositisque decorè sa-
 cris reliquiarum thesauris, mi-
 rificâ ille jucunditate perfusus,
 orsus est eis benè precari, qui
 candelas illas ordine collocâs-
 sent, instruxissent, incendissent,
 qui ceræ in usus legassent ar-
 gentum, qui templum sericis
 convestissent, reliquijs ornâs-
 sent, symphonicos pueros
 evocâssent. Adeò omni ex par-
 te exultantis in Domino men-
 tis, se prodebant indicia.

In ejus vita.

F

Ter-

Tertium Punctum.

*Consideratio pulchritudinis
internæ B. V.*

VT hanc pulchritudinẽ ali-
quatenus mente assequa-
ris, considera quanta sit pul-
chritudo unius animæ à pecca-
tis emundatæ, & virtutibus de-
coratæ. Tanta est, inquit S.
Catharina Senensis, quanta si
oculis corporeis percipi pos-
set, nullus futurus esset, qui non
lubenter pro singulis animabus
in tam specioso, & amabili statu
conservandis mortẽ oppetere
paratus esset. *Sur. in ejus Vita.*
Et meritò: si enim quidquid
pulchritudinis, decoris, ama-
bilitatis elucet in quibuslibet
corporeis rebus, in Sole, Lunâ,
Stellis; in auro, gemmis, vesti-
bus,

bus, palatijs, hortis, imaginibus, in hominibus qui unquam extiterunt aut futuri sunt; si, inquam, hic totus decor è singulis collectus in unum conflaretur, quamvis videatur prope modum immensus & incomprehensibilis futurus, non æquaret tamen eum decorem, quem adfert animæ vel minimus gradus gratiæ DEI, & virtutis alicujus eam comitantis.

Exurge nunc quantulum potes ad contemplandam pulchritudinem animæ B. Virginis, non uno, duobus, aut paucis gradibus gratiæ, & virtutum decoratæ, sed tot & tantis, ut censeant nonnulli pietate juxta & doctrinâ celebres Theologi, illi soli plus gratiæ in hac vitâ, & in alterâ plus

100 HORTVLVS

gloriæ collatum esse quàm
omnibus sanctis simul, ut supra
diximus. *In præfat. §. 1.*

Affectus Amoris.

Admiraberis, & laudabis tan-
tam, & à nobis incomprehen-
sibilem B. V. perfectionē: Multæ
sibi filia congregaverunt divi-
tias, tu supergressa es univer-
sas; *Eccles. 31. §. 29.* tu Patri-
archas excellis fide, Prophetas
scientiâ, Apostolos sancto ze-
lo, Martyres patientiâ, Confes-
sores humilitate, Virgines in-
nocentiâ; tu ineffabilibus mo-
nibus ornata omnes superni
palatii cives in admirationem
rapis; tu es Sol clarissimus de-
fectum nesciens, Sol è terra
cœlos illustrans, Sol è cœlis
terram illuminans, Sol peccati
nubes

M A R I A N V S. 101

nubes discutiens. Dolebis te
hactenus tam exiguo amore
illam Virginis sanctitatem pro-
secutum fuisse. O si illa nunc
tenui penicillo misericordiæ
suæ, prioribus saltem cœlestis
gratiæ coloribus animæ tuæ
imaginem ad sui similitudinem
efformet! ô si illam emundet, &
virtutibus exornet, quibus te
& sibi, & Filio suo gratiosum, &
amabilem reddat! Aspirabis ad
illam veram, & solam expeten-
dam pulchritudinem incensis
desiderijs; vel eam ob causam
ut ampliùs à B. V. diligi possis,
vicissimq, illam ampliùs dili-
gere.

Colloquium.

Subnectes his consideratio-
nibus, & affectibus gratiarum
F 3 actio-

actionem SS. Trinitati, quòd
 B.V. tot donis, & virtutibus,
 tantâ perfectione compleve-
 rit, & tam amabilem reddide-
 rit; ideoq; eam effuso corde, &
 pleno ore laudabis, ac univer-
 sam creaturam ad idem præ-
 standum intenso affectu provo-
 cabis; deniq; supplex rogabis,
 & obtestaberis B. Virginem, ut
 in cor tuum unum amoris ja-
 culum evibret, illudq; transfi-
 gat, & unam hanc gratiam tibi
 præstet, ut possis vivere & mori
 famulus & amator MARIÆ. In
 fine, Pater, & Ave.

CAPVT II.

*Contemplatio secunda, ad
 excitandum amorem in B.*

*V. ob eius beneficia, & mi-
 sericordiam.*

Præ-

P Ræludia eadem quæ in superiorî meditatione.

Primum Punctum.

*Consideratio magnitudinis
misericordiæ B. V. ex eo
quòd sit Mater
DEI.*

A Lterum caput illecebrarû
spiritualis amoris in B. V. est
ejus misericordia, & profusissi-
ma in humanum genus, atque
adeò in nos singulos bonitas;
quam ut perspiciaciùs assequa-
ris, considera illam esse Matrê
D E I, cujus nimirum viscera
nemo dubitet tota in miseri-
cordiam transijisse, cum ipsam
misericordiam novem mensi-
bus in utero gestârit; cujus cor,
& pectus totum exarsit flâmis
F 4 chari-

104 HORTVLVS

charitatis, cùm ignem ipsum,
 ipsam charitatem toties am-
 plexata sit, & sinu suo foverit:
 agnovit quò DEVM Filiũ suum
 amor nostri impulerit; audivit
 ejus verba dilectionis plenissi-
 ma, oculis suis lustravit, & ma-
 nibus palpavit, quanta egerit
 pertuleritque pro salute homi-
 num: Potuitne ardentissimè
 non sitire bonum nostrum, &
 salutem nostram, quæ Filium
 suum in cruce toto corpore la-
 cerum, manibus pedibusque
 transfixum, audivit clamantem
 (sitio!) si enim hæc vox dile-
 ctissimi JESV fide percepta, &
 meditatione in aurem cordis
 illapsa Apostolicos viros, Pau-
 los, Dominicos, Franciscos,
 Ignatios, Xaverios ad tam he-
 roica facinora in salutem pro-
 ximi

ximi, rapuit; quid non effecit in B. Virgine, quæ in montis Calvariæ theatro, in illo amoris divini proscenio, amorem filij sui in humanum genus audivit, vidit, & quodammodo attrectavit?

Affectus Amoris.

Gustabis, & videbis ipse quàm suavis sit B. Virgo; congratulaberis illi de tam eximiâ misericordiâ, per quam tam amabilis redditur; immò toti generi humano congaudebis, & gratulaberis, quòd DEVS, ac Dominus noster sibi tam amabilem Matrem elegerit, quæ simul nobis esset Mater misericordiæ. Hujus affectus dulcedine perfundebatur D. Bernardus cum diceret: Nos quidem
ser-

seruuli tui, Virgo beata, in cæ-
 teris virtutibus congaudemus
 tibi, sed in hac, potiùs nobis
 ipsis; laudamus Virginitatem,
 humilitatem miramur; sed mi-
 sericordiam amplectimur cha-
 riùs, recordamur sæpiùs, cre-
 briùs invocamus. *Serm. 4. de
 assumpt.*

Secundum Punctum.

*Consideratio longitudinis, &
 latitudinis misericor-
 diae B. V.*

VT meliùs percipias ma-
 gnitudinem hujus miseri-
 cordiæ, metire eam ad modum
 magnitudinis corporeæ juxta
 quatuor dimensiones, longitu-
 dinem, latitudinem, altitudi-
 nem, & profunditatem. Longi-
 tudo

tudo dici potest continuata longâ serie per tot sæcula miserationum exhibitio, & in finem mundi per duratura diffusio. Longitudo (inquit D. Bernardus *ibid. sup.*) usque ad novissimâ diem invocantibus eam subvenit universis. Revolve tempora præterita; nulum reperies sæculum, annum, mensem, diem, horam, immò momentum, in quo non extent Virginis Matris beneficia, quæ ex ejus in nos amore velut ex perenni fonte nunquam non profluunt, profluentq; quamdiu non deerunt miseri, quibus misericordia impendatur. Latitudo misericordiæ intelligi potest, multiplex ejus in omnes mortales extensio: Latitudo ejus (inquit idem D. Bernardus

dus

dus *ibidem*) replet orbem terrarum, ut etiam misericordia eius plena sit omnis terra. nam si beneficiorum multitudinem consideremus, nullum erit, vel corporeum, vel spiritale, quod acceptum illi referri non debeat; in corporalibus, puerperas iuvat, morbos sanat & vulnera, in periculis protegit, victorias triumphosq; largitur, &c. in spiritualibus Baptismum procurat, in castitatis pugna iuvat, in desperatione succurrit, Religiosas familias in DEI Ecclesiam intromittit, morientibus præstò est, &c. adeò ut hæc tanta Virginis misericordia rectè censerì possit adumbrata illa nube, quæ populum Israël ab Ægypto fugientem protexit contra persequentes
 Ægy -

Ægyptios; quæ per deferta in-
via, diu noctuq; perduxit, quæ
à Solis æstu defendit, per quam
DEVS responsa & oracula de-
dit. *Exod.* 13. & 14.

Affectus amoris.

Desiderabis summoperè, ut
omnes mortales erga tam exi-
miam benefactricè suam, gra-
tos se præstent, ejus beneficia
in mente recondant, officijsq;
suis & studijs ea pro modulo
compensent. O si posses mul-
tis laboribus, ærumnis, preci-
bus, totius corporis animique
contentione vel hoc unum af-
sequi, ut aliquis è tot ingratis
& tepidis mortalibus ad MA-
RIÆ amorem traducatur, quàm
condignum operæ pretium il-
lud foret! Statue ex maximo

G

erga-

110 HORTVLVS

erga illam affectu id conari;
ejusque honori studere, quibus
valebis modis. Hoc zelo in-
census D. Bonaventura justos
omnes & sanctos, post agnitam
B.V. misericordiam, ad læti-
tiam, congratulationem, gra-
tiarum actionem invitatur: *In*
psalter. Exultate justi in Vir-
gine gloriosa, & in rectitudine
cordis collaudate eam; acce-
dite ad eam cum reverentia &
devotione, & delectetur cor
vestrum in salutatione illius;
impendite illi sacrificium lau-
dis, & inebriamini ab uberibus
dulcoris illius; influet enim
vobis radios suæ pietatis, &
clarificabit vos fulgoribus
misericordiæ
suæ.

Ter-

M A R I A N V S. I I I

Tertium Punctum.

*Consideratio altitudinis &
profunditatis misericor-
diae B. V.*

Altitudo misericordiae V.
Matris, non se terrae limi-
tibus detineri patitur; in cœ-
lorum usq; fastigium penetrat;
ibi suos fructus longè dulcissi-
mos profert, ibi radios amoris
sui quaqua versum emittit. O
si cognosceres! si vel ad mo-
mentum intueri posses, quo ju-
bilo, quâ exultatione, quâ glo-
ria B. V. lætificet civitatem
D E I? Verior arca, *Exod. 25.*
quos per desertum hujus sæ-
culi peregrinantes miseratio-
num suarum unguento recrea-
vit, fovit, corroboravit; in eos
nunc fœlices & securos in cœ-
lesti

lesti Hierusalem suæ dulcedinis
& beatitatis profluvium deri-
vat.

Profunditas misericordiæ
ejus in Infernum usq; descen-
dit; nam illa est quæ innume-
ram peccatorū multitudinem,
ne in æternum damnationis
barathrum præcipites demer-
gerentur, procuratâ ipsis apud
filium gratiâ resipiscendi, &
veniâ, sustinuit & conservavit.
Illa est quæ rugientium Infer-
ni leonum, immanissimam dæ-
monum rabiem, vires, & in no-
stram perniciem conatus eli-
dit, & superat. Illa est quæ ani-
mas in Purgatorio detentas
imbre suæ consolationis singu-
lis momentis (prout ipsa S.
Gertrudi revelavit) re-
frigerat,

Aff. 3

Affectus amoris.

Aspirabis ad patriam cœlestem, ut possis cum Angelis & hominibus beatis, cor tuum coram Deipara effundere, misericordias ejus simul cum divinis decantare, ad ejus nomen gaudio & dulcedine amoris colliquescere.

Imitaberis etiam misericordiam B. Virginis, quam circa animas in Purgatorio detentas exercebis, pro illis orando & alijs modis satisfaciendo, præsertim verò eidem Virgini supplex fies, ut eas animas e pœnis liberando & in cœlum asciscendo, misericordiam suam manifestiorem reddat, & numerum suorum præconum & laudatorum adaugeat. Quàm hoc sit Deiparæ gratum, visa

G 3 est

114 HORTVLVS

est significasse ipsamet cuidam
Soc. JESV Coadjutori, Joanni
Ximeni, qui cum in festo o-
mnium Sanctorum coram ima-
gine conceptæ Virginis animas
in Purgatorio detentas mise-
ratus, pro ijs DEVM oraret, do-
leretque eas tam parum à vi-
vis fidelibus adjuvari, audivit
sibi inclamari; Ximene, memor
esto animarum Purgatorij; quâ
voce ita permotus est, ut ab eo
tempore usque ad obitum per
octo circiter annos, omnia
opera sua tam externa, quàm
interna, tum devotionis, tum
mortificationis in suffragium
earum animarum obtulerit. *In*
Vita P. Baltazaris Alvarez,
c. 45.

Colloquium.

In fine hujus meditationis
insti-

M A R I A N V S. 115

institues colloquium, in quo
primùm gratias ages B. Virgi-
ni, & tuo, & omnium mortua-
lium nomine, pro ipsius tam
magna beneficentia; deinde
cor tuum & desideria, affectus-
que effundes coram illo corde
dulcissimo MARIÆ, quod con-
templaberis velut scopum in
medio universi constitutum,
undequaq; transfixum jaculis
amoris à SS. Trinitate, Ange-
lis, & hominibus, in cælo,
terrâ, Purgatorio degentibus;
amaris enim summoperè ab o-
mnibus ô Mater nostra, deside-
rium collium æternorum, de-
cus humanæ naturæ, orbis de-
licium. Quas tibi quælibet
creatura laudes, quas gratula-
tiones, quos applausus, quæ
cantica, quos honores defert,

G 4 velim

116 HORTVLVS

velim millies & millics aucta,
multiplicataq; tibi offerre; ac
cum illis meipsum totum de-
voveo innumeris nominibus
arctissimè & æternùm tibi ob-
strictum.

Hæc meditatio erit B.V.
longè gratissima, & in magnum
tibi meritum cedent tot fer-
ventia amoris exercitia, qui-
bus quasi maximâ laudum &
congratulationum pompâ no-
men B.V. in triumphum defe-
res non absimilem illis, quos
diversi Imperatores ipsi exhi-
buerunt post victoriam ejus
opereportatam. Inter cæteros
Joannes Comnenus Imperator
Constantinopolitanus cùm an.
1123. de Scythis valido exer-
citu Thraciam invadentibus,
suppetias ferente Virgine, vi-
ctor

M A R I A N V S. 117

Et or evasisset, in rei gestæ monimentū, & ad triumphi pompam, apparari jussit currum pulcherrimum, cui quatuor equos instar nivis candidissimos admovit; in eo victricem & triumphatricem imaginem Deiparæ collocavit; habenas proceribus regni, currum cognatis regendum dedit, ipse crucem manu gestans pedes antecessit. *Nicetas in Annal.*
Ita per te, & de te, non aliā pompā, quàm exercitiorum amoris frequentatione, non in alio curru, quàm cordis tui semper triumphet

M A R I A.



G 5

CA-

118 . HORTVLVS

CAPVT III.

*Renovatio amoris & devo-
tionis erga B. V. interdum
per breviorē recolle-
tionem.*

Non est satis Virginis cul-
tori, præcedentibus me-
ditationibus matutino tempo-
re ignem amoris adversus il-
lam in pectore suo excitâsse;
sed præterea opus est, ut fla-
bello frequentis recollectio-
nis eum exsuscitet, & quasi
materiam novam alicujus de-
votæ, sed brevioris considera-
tionis ei subministret, quo ex-
ardescat vehementiùs. huic re-
collectioni subserviet sequens
exercitium, ad cuius imitatio-
nem plura similia sibi quilibet
poterit efformare.

Primò

Primò sepositis tantisper alijs negotijs, & ad te reflexus contemplaberis S. Ioannem stantem cum B.V. ad crucem Domini, & auditis his Christi verbis (*Ecce Mater tua*) adimplentem id quod de ipso scriptum est (*Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*)
 2. Urge deinde teipsum ad imitationem S. Joannis, & ad renovandum *ex hac hora* affectum tuum in Virginem, aliquantùm perpendens hæc verba (*Ex hac hora*) juxtà sequentes septem considerationes, quarum primam diei dominicæ, reliquas alijs diebus ordine assignabis.

Die Dominico. *Ex hac hora*, quâ tam multi sese filiali affectu ipsi devovent, tum in cælo,

tum in terrâ ejus laudes concinunt, vel aliquod aliud ipsi obsequium præstant. Ingere te in mediam illorum turbam, & mirum est, si glacies tuæ tepiditatis non resolvatur ab istis ignibus. O ardores seraphicos! ô affectus omnium SS. erga MARIAM! ubi, ubi estis? cur vel unam scintillam non immittitis in nos, qui tam torpidi, tam frigidi, tam negligentes sumus in Virgine colenda?

Feria 2. *Ex hac hora*, ante quam horam nunquam fortè servivisti B. V. sicut debuisti. DEVS bone! tali Reginae, tantæ benefactrici, tot acceptis per singula momenta ab eâ beneficijs, nihil hætenus rependisse! è tot horis quibus vixisti, ne unam, ne unicam horulam per-

perfectè in obsequium tam dilectæ Matris impendisse! quid torpes? quid differs? quin saltem modò, quin hanc ipsam horam illi offers & consecras?

Feriâ 3. *Ex hac hora*, quâ tam multi pereunt defectu amoris & recursus ad ipsam. Mille & mille forsan in agone extremo constituti hoc ipso momento sistendi sunt Christo judici, & ab eo in æternum damnandi, qui si vel semel cum sincero affectu Virginem inclamarent, ejus auxilio salvarentur. Quantum hoc est æternum perire, æternum uri? & quantulum est MARIAM implorare, amare, colere? Hoc nunc præsta ut illud evites.

Feriâ 4. *Ex hoc hora*, quâ te inermem & nudum, hinc po-

tentissimi hostes Diabolus,
 Mundus, Caro persequuntur;
 illinc Iustitia divina ad suppli-
 cium peccatis debitum depo-
 scit: tentationi succumbes, fies
 præda, nisi tibi B. V. suppetias
 ferat, nisi pro te intercedat.
 Quisquis hæc legis, si lethali
 peccato oneratã geris consci-
 entiam, attende precor hunc
 miserum statum tuum. Ejectus
 è paterno DEI adiutorio, in
 quo ante peccatum, cum esses
 in statu gratiæ, velut Rex de-
 gebas, omnibus virtutum &
 meritorum ornamentis spolia-
 tus, bestiæ similior quàm ho-
 mini; alter Nabuchodonosor,
 in deserto peccatorũ inter im-
 manissimas belluas continuò
 pavens, deplorantibus tuam
 calamitatem Angelis, & præ-
 fertim

M A R I A N V S. 123

sertim tuo custode (ejus consilij aufcultâles, non jam tot in miserij gemeres infelix!) continuis conscientiaë flagellis atrociter cæsus, solus, derelictus ab omnibus, judici terribilissimo fortè hac ipsâ horâ sistendus vivis, & potes vivere? Ecce tibi MARIA asylum miserorum expansis ulnis immunitatem, securitatem, pacem offert; quin ad eam confugis?

Feriâ 5. *Ex hac hora*, quâ tam multi Idololatræ, Hæretici, blasphemæ, sacrilegi innumeris modis B. V. nomen profcindunt, imagines conculcant, cultum abominantur; tu Matri tuæ tot illatas injurias negligens non compensabis eo ferventiùs hac ipsâ horâ eam amando, honorando, colendo & præ-

præsertim cum & Angelus tuus
custos, & Angeli custodes isto-
rum blasphemorum, id à te de-
poscant & expectent.

Feriâ 6. *Ex hac hora*, quâ
Christus tantopere desiderat,
ut tu colas Matrem suam. Pe-
tenti Christo in medijs suis
tormentis unum hoc à te sola-
tium; ut Matrem suam tu dein-
ceps haberes in Matrem, eam-
que coleres, procul dubio an-
nuisses. quod tunc petijt à Jo-
anne, & à te petijt, & modò
hac ipsâ horâ petit, & non an-
nuis? quam ultrò maximè de-
beres, nunc non coles perfe-
ctissimè, ab ipso, tali tempore,
istis verbis rogatus?

Die Sabbathi. *Ex hac hora*,
quâ ipsamet B. V. tui peraman-
ter meminit; rerum tuarum sa-
tagens

agens de te loquitur cum Angelo tuo custode, & cum alijs patronis; pro te filium interpellat; beneficia tibi confert innumera; & talis Matris affectus; tam provida, tam sedula, tam constans tui cura non transfiget cor tuum saluberrimo & suavissimo amoris vulnere, ut langueat & liquefiat anima tua illi placendi & serviendi desiderio?

3. Unâ ex his considerationibus mente pertractatâ, spatio dumtaxat Miserere, cum fervore & proposito diligentius deinceps Deiparam colendi, recita semel salutationem Angelicam, vel hanc orationem; Sancta MARIA Mater DEI & Virgo, ego te ex hac horâ & in perpetuum in Dominam & Advoca-

126 HORTVLVS

Advocatam ascisco, & in Matrem, ac in omnia mea accipio; tu vicissim me suscipe in clientem perpetuum, & in Filium immeritum; ad sis mihi in actionibus meis, nec me deseras in horâ mortis, Amen.

Hanc praxim exercere merito potuit ille miles, insignis prædo, cui dæmon quatuordecim annis specie humanâ famulatus est, eâ sibi factâ à DEO potestate hominem strangulandi, si vel uno die piam consuetudinem salutandæ Virginis intermisisset, *Spec. ex. dies ex. 60.* Imò hoc exercitium usurpare potuit universa terra cum Christus Dominus in peccatores justo furore incensus, ternas vibrabat lanceas, unam in superborum cervices, aliam in
ava-

avarorum viscera, tertiam contra carnis concupiscentijs deditos, eos omnes perditurus, nisi eâ ipsâ horâ B. V. pro mundo intercessisset, obtulissetq; fideles suos servos Dominicum & Franciscum, qui mortales ad pœnitentiam revocarent. S. Anton. 3. p. hist. rit. 22. c. 3.

C A P V T I V.

Exercitium amoris, & fiducia in B. V. cùm aliquid ab ea postulas, præsertim tempore adversitatis.

Primùm contemplare, quomodo B. V. auditâ illâ voce Christi morientis (*Ecce Filius tuus, Ioan. 19.*) per quam constituta est Mater omnium hominum

minum, quomodo, inquam, dilatârît viscera sua, brachiaque extenderit ad tot filios amplectendum: & te inter alios, materno affectu.

2. Petes ut illius vocis, & status nunc velit in cœlis meminisse, nosque habere loco ipsius Christi, prout ab ipso rogata est; & illa nobis exhibere, quæ illi præstitit pientissimæ Matris officia.

3. Deinde expones sigillatim misérias tuas, ac necessitates, & plenus fiduciæ, ab ea ut ab amantissima Matre auxilium exposces.

1. Sistes te velut infantem hac, vel simili precatiunculâ:
O MARIA Mater mea dulcissima, ecce ego Filius tuus infans, qui nec incedere, nec ullo
me

me pacto sustentare possum, tuo prorsus indigus auxilio; sicut ergo Christum Filium tuum infantem in ulnis tuis amantissimè portasti, ita me alterum Filium tuum inter brachia tuæ protectionis porta.

2. Offeres te velut infantem nudum: Ô MARIA Mater mea benignissima; ecce ego Filius tuus infans omni virtute nudus, expositus injurijs frigoris, & tepiditatis spiritalis; sicut ergo infantem JESUM Filium tuum fascijs & panniculis involuisti, ita me alterum Filium tuum involve fascijs virtutum, ut calefiam fervore spiritali.

3. Velut famelicum & ad ubera anhelantem: Ô MARIA Mater mea amantissima, ecce ego Filius tuus infans famelicus, &
omni

omni destitutus alimento: sicut ergo mellea ubera tua tam affectuosè præbuiſti ſugenda infanti Chriſto Filio tuo, ita mihi alteri Filio tuo ubera tui amoris præbe, & lac devotionis cordi meo inſtilla.

4. Velut ſpiritualiter circumcidendum, & DEO præſentandum: Ô MARIA Mater mea puriſſima, ecce ego Filius tuus verè immundus, & qui propterea vereor ad ſacroſanctam Eucharistiã accedere, ne pro vitã iudiciũ mihi manducẽ, & mortem aſciſcam; ſicut ergo Filium tuum JESVM priùs circumciſum, ipſum puritatis fontem, in templo Hieroſolymitano cum pari turturum aut duobus pullis columbarum obtu-
liſti Patri æterno munus gra-
tiſſi-

tissimum; ita me alterum Fi-
lium tuum intercessione tuâ
ab omni peccati maculâ per
pœnitentiâ emundatum, ab
inordinatis affectibus cultro
mortificationis circumcisum,
humili simplicitate & amore
DEI exornatum, unitum Fi-
lio, tuo in sacra communione,
offer DEO Patri munus gra-
tiosum.

5. Velut profugum à furore
hostili: Ô MARIA Mater mea
potentissima, ecce ego Filius
tuus quem crudelissimus Hero-
des diabolus, mundus, & caro
persequitur ad interneccionem;
sicut ergo Filium tuum JESVM
provida subduxisti furori He-
rodus, & in Ægyptum deporta-
sti, ita me alterum Filium tuum
maternâ providentiâ protege,
&

& aduersus hostium omnium
impetus tutare.

6. Velut perditum & devi-
um: Ô MARIA Mater mea sapi-
entissima, ecce ego Filius tuus
per ignorantia & peccata per-
ditus & devians, erravi enim
sicut ovis quæ perijt: sicut ergo
Filius tuum JESVM amissum
quæsiisti, & post triduum in
templo repertum in ædes tuas
reduxisti, fovisti, educaisti, ad
annum usque trigessimum; ita
me alterum Filium tuum longè
aliter in medijs erroribus, &
imperfectionibus perditum, &
aberrantè misericorditer quæ-
re, & reduc in domum pater-
nam gratiæ & misericordiæ di-
vinæ, tuisq; sapientissimis mo-
nitis instrue, & efforma in vi-
rum perfectum.

7. Vel-

7. Velut morti jam proximum: Ô MARIA Mater mea gloriosissima, ecce ego Filius tuus, qui à divinâ justitiâ morti adjudicatus, incertus de tempore executionis sententiæ, eam in singulas horas expecto & timeo; sicut ergo Filio tuo Christo pro nobis morte damnato & in cruce morienti indicibili cõpassionis affectu assististi; ita mihi alteri Filio tuo, præsentis auxilio assiste, nec me deseras in illa hora extrema; & sicut corpus Filij tui JESU de cruce depositum in sinum tuum excepisti; ita animam meam à corpore exeuntem, Ô MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ! recipe inter materna brachia tua.

Posiunt septem hæc consideratio-

H ratio-

134 HORTVLVS

rationes dividi in singulos dies hebdomadæ, adjuncto in fine singularum Hymno, Ave maris stella. Filialis hujus confidentiæ in B. Virg. fructum uberimum percepit D. Bernardus, qui ex Deiparæ uberibus singulari materni amoris significatione, sacratissimum lac suxisse dicitur, unde credibile est hausisse admirabilem illam, quam ubiq; spirat cum pietate dulcedinem. Quid de B. Stanislao Kostka Soc. JESU Novitio dicam? qui animum Filij in B. V. ab infantia ita induit, ut suam Matrem appellare eam in omni sermone consueverit, idq; tanto cum sensu, adeoque simplici ingenuitate, ut audientibus partem suæ suavitatis aspergeret: vicissim illi sese B. Vir-

Virgo blandissimam Matrem
 prestitit multoties quidem, sed
 tum maximè, cùm ægrotanti
 apparuit, & puerum JESVM,
 quem in sinu gestabat, in ejus-
 dem lectulo collocavit, unde &
 animum illius uberrimâ con-
 solatione perfudit, & corpori
 valetudinem reddidit, eique
 digrediens indixit, ut Societa-
 tem JESV ingrederetur.

C A P V T V.

*Frequens recordatio B.V. est
 effectus, & indicium amo-
 ris in illam.*

V Bi thesaurus, ibi cor: ubi
 amor, ibi frequens rei
 amatae recordatio: hinc fit ut
 veri sincerique Deiparae ama-
 tores, ejus memoriâ, & con-

H 2 tem-



templatione animum suum pascant & oblectent frequentissime, sed potissimum quando ejus aliquam imaginem conspiciunt, illam velut in imagine presentem salutant devote: Salve, inquit, Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Monstra te esse Matrem: vel aliquam aliam precatiunculam, quam vocamus jaculatoriam, in promptu habent. S. Philippus Nerijs hujusmodi oratiuncularum magnum numerum collegerat; exempli causa: Virgo MARIA DEI genitrix, JESUM ora pro me: item, Virgo Mater, da mihi ut semper sim tui memor: & similes plurimas ad numerum globorum coronæ B. Virginis, sub-

substituendo eas in locum orationum Dominicarū & salutationū Angelicarū. *In ejus Vita.*

Quæ supra de reverentia exhibenda, tum alijs rebus, tum imaginibus Virginis Matris attulimus, huc revocari possunt; ista enim reverentia, de quâ illic egimus, est filialis & cum amore conjuncta, & ab eo imperata. Quibus adde quod in vitâ S. Dominici de primis Dominicanis legitur, solitos habere in cellulis suis imagines Virginis Filium gestantis in ulnis, itemque Salvatoris à cruce pendentis, quarum intuitu memoria dormitans excitaretur sensusq; exteriores in vanas res propensi, spiritali robore confirmarentur. *In Vita S. Domin. l. 6. c. 20.*

Deinde ijdem Virginis amatores quando ejus nomen audiunt, quasi suavissimo melle in præcordia infuso, toti exhilarantur: quod legimus solenne fuisse B. Aloyſio Gonzagæ, qui adhuc puerulus tantum in B. V. devotionis concepit, ut quoties nomen ejus audiret, toties ſpiritali quodam devotionis ſenſu totus commoveri & colliqueſcere videretur. *In ejus Vita l. I. c. 6.*

Unde meritò exclamat D. Bonaventura, *In ſpec. c. 8.* O celeberrimi nominis MARIA, quomodo poſſet nomen tuum non eſſe celebre, quæ etiam nominari non potes ſine nominantis utilitate? teſtatur tuus Bernardus, dicens: ô magna, ô pia, ô laudabilis MARIA,
 tu

tu nec nominari potes quin
accendas, nec cogitari quidem
quin recrees affectum diligen-
tium te: tu nunquam sine dul-
cedine divinitus tibi insitâ piæ
memoriæ portas ingrederis!

Denique ijdem Virginis stu-
diosi singulis horis ad pulsum
campanæ in memoriam An-
nuntiationis Angelicæ, & Do-
minicæ Incarnationis recitant
semel Ave MARIA, cui devo-
tioni SS. Pontifex Leo X.
& post illum Paulus V. con-
cessit indulgentium mille die-
rum.

CAPVT VI.

*Alius effectus, & argumen-
tum amoris in B. V. est
frequenter de eâ
loqui.*

H 4

Ex

EX abundantia cordis os lo-
 quitur. Cujus animum
 amor Deiparæ possidet, ejus-
 dem & sibi linguam vendicat;
 dulcia sunt enim faucibus dili-
 gentium te eloquia tua, ô dul-
 cissima Mater MARIA, ideo-
 que ea frequenter usurpant, &
 cum magnâ voluptate vicissim
 & sibi ab alijs enarrari audi-
 unt, & audientibus ipsi enun-
 tiant. S. Bernardinus etiam
 puer tanto impetu amoris in
 colloquia spiritualia de Chri-
 sto ejusq; Matre ferebatur, ut
 confodales ipsius eo præsentem,
 alia quàm honesta & sancta
 colloquia inducere reformi-
 darent. *In ejus Vita.* Hoc no-
 tatum in B. Stanislao Kostka,
 cùm frequentissimè de B. V.
 loqueretur, nova semper &
 magni-

magnificentissima quædam ,
 quibus eam appellaret, exco-
 gitabat nomina, & gradus, in
 quibus collocaret, altissimos;
 apparebatque græve illi esse,
 quod adæquare sui iudicij præ-
 stantiam nequiret verbis, nec
 celsius quiddam, ubi eam re-
 poneret, inveniret. *In ejus
 vita.*

Nec tantum in privatis con-
 gressibus, sed in concionibus
 publicis sese idem affectus pro-
 dit, dum in illis laudes Vir-
 ginis deprædicantur, hæreti-
 corum blasphemiam retundun-
 tur, catholici ad ferventio-
 rem ejus cultum exstimulantur.

Fuit hæc devotio admodum
 salutaris cuidam Religioso, pio
 & ferventi concionatori, qui
 conciones omnes suas, pro
 suo

suo in Virginem affectu, alicujus de eâ miraculi enarratione concludebat; hic enim morti proximus SS. Virginis conspectu & auxilio confirmatus est, & incredibili lætitiâ perfusus, magno animi jubilo & laudes Virginis, & suum ipse sibi, nequidquam frementibus tartareis legionibus, epiniciũ concinens migravit ad Christum. *Spec. exempl. d. 7. ex 56.*

Nec omittenda hic S. Francisci Xaverij in Deiparam testata devotio in tradenda doctrina Christiana in India, nam in explicandis symboli articulis ac Decalogi præceptis illâ ferè methodo utebatur, ut primo præcepto decantato, primum Christi opem recitatâ oratione dominicâ invocaret,

ac deinde cum omnibus præ-
sentibus caneret; Sancta MA-
RIA Mater J E S U Christi, im-
petra nobis à filio tuo, ut pri-
mum ejus præceptum serve-
mus sedulò; eandemque ratio-
nem in reliquis servabat præ-
ceptis: institutionem verò Ca-
techisticam concludebat per
antiphonam; Salve Regina;
quâ B. V. opem omnes, qui
aderant, implorabant. *l. i. epist.*
S. Xaverij, epist. 5.

Ex eodem in Deiparam amo-
re prodit pietas eorum, qui
laudes ejus modulantur, & can-
ticis rithmisq; à se composi-
tis, alijsuè lucubrationibus
eam celebrant.

Hoc in genere pientissimus,
& posteriorum memoriâ imi-
tationeq; dignissimus exstitit
S. Ca-

144 HORTVLVS

S. Casimirus Princeps, filius
 Casimiri Jagelloniae Poloniae
 Regis & Elisabethae Austriae,
 qui B. MARIAE DEI pa-
 renti, benignissimaeque homi-
 num patronae maximè addi-
 ctus erat, eamq; à se metris sin-
 gulari artificio elaboratis, &
 pulchro schemate penè omnia
 Incarnationis Dominicae my-
 steria claudentibus, quotidie
 in terram fusis genibus pio af-
 fectu salutabat. *Bellarmin, de
 offic. c. 3. in ejus Vita.*

CAPVT VII.

*Aliud indicium amoris in
 B. V. est, amare ejus
 amicos.*

IN primis cum Virgine MA-
 RIA amandus, colendusque
 est

est S. Ioseph, quem ut castissimum dilectissimumque suum Sponsum, ac in educando Christo sedulum adiutorem; & ipsa amavit plurimum Virgo Mater, & amari colique à suis clientibus desiderat. Extat ejus officium plenissimum pietatis, aliaque plurima ferventis devotionis exercitia, quæ peculiarem tractatum requirunt.

Succedunt deinde Virginis parentes optimi, S. Joachim, & Anna, ad quos in antiquis precationum libellis variæ reperiuntur orationes, testes affectus, & cultus, quo majores nostri illos profecuti sunt. Denique alij Sancti, qui singularem apud B. V. inierunt gratiam, nobis maximè gratiosi esse debent, & quotquot eam amant colunt.

I que,

que, vicissim à nobis amandā colendiq; sunt. Istius in B.V. amicos observantiæ argumenta hæc erunt.

1. Inter Sanctorum laudes istam reponere velut eximiam & præcellentem, quòd fuerint singulares B.V. amatores.

2. Hos Sanctos isto titulo affectuosius colere, & sæpè rogare obtestarique, ut ex fornace amoris sui in Virginē, unam in pectus nostrum scintillam emittant.

3. In ijs cum quibus versamur animadversam in Deiparam pietatem magnificare, amare, imitari, ijsque vel hoc ipso nomine libenter convivere

4. Pro quibuslibet B.V. amatoribus sæpiùs orare, operamquet

que nostram libenter ijs impendere, ubi eâ opus habuerint.

Ad hæc charitatis officia, sunt nobis auctores & duces ipsi Angeli, qui plurimum erga B. V. cultores afficiuntur, eosq; suâ præsentia, auxilio, solatioq; fovent.

S. Catharina Senensis cum annum circiter quintum ageret, quoties gradus paternæ domus conscenderet, & descenderet, ad singulos, flexis genibus, salutationem Angelicam pronuntiabat; quod dum faceret, Angelorû ministerio, ut plurimum sublimis ferebatur, ita ut gradus ipsos pedibus non attingeret. *S. Anton. 3. p. hist. 1. 25. c. 14.* Nimirum Angelis cognata Virginitas est, &

pulchros gressus Filiaë principis (cujuslibet animæ ad perfectionem tendentis) in calceamentis reverentiæ & amoris in MARIAM admirantur, amant, laudant, sustentant, promovent Angeli. Quis hunc beatarum mentium affectum, quis tam amica officia spectet, & continuò Virginem Matrem, Virginisq; amicos non diligat?


Adjungamus & alterum non minùs jucundum piumq; spectaculum. B. Maria de Oegnies quotannis ad Ecclesiam Dei-paræ Oegniacensem duobus miliaribus à domo suâ distantiam devotè peregrinabatur; rigente hyeme nudis pedibus incedebat; sed fornax interni amoris in Christum, & in ejus

Ma-

Matrem M A R I A M, externo frigori facilè resistebat, & partim suavissimo devotionis sensu, consolationis lachrymas exprimebat, quibus os vestisque uberrimè rigabatur; partim flamas expirabat aspirationum fervidarum, inclamantium flores, inclamantium mala, quibus fulciretur, quibus stiparetur amore languens: illicò advolabant Angeli ad ejus ministerium, & hi dextrâ lævâque sustentabant gradientem; alij ne in viâ flexuosâ, sibi que non satis cognitâ aberraret, lumen quoddam cœleste præferebant; alij, si quando plueret, protenso tegmine pluviam arcebant, domumq; ab injuria aëris, ventorum, imbrumq; securam reducebant. *Scrius in ejus vitâ.*

150 HORTVLVS

Quale spectaculum! tot Angelorum obsequijs, fervorem amantis animæ, etiam in hac vita tam abundè compensari. O cor! ô linguam! ô affectus! ô verba! aspirate, tendite, currite, volate ad mellitissimos amores nostros JESVM & MARIAM.



HORTULI MARIANI

Arcola tertia

LILIORVM.

In qua continentur exercitia propria illis, qui instar Liliorum puritate vitæ, & sinceritate affectus albicantes, peculiari modo sese B. V. devovent.

CA-

CAPVT I.

Quàm sit utile se suaq; specialiter in B. V. tutelam tradere.

Permultæ res solent Deiparæ donari, & titulo seu consecrationis, seu obligationis, seu devotionis, aut quopiam alio simili in ejus peculiarem protectionem, & tutelam consignari.

In primis Regna, Provincias; Urbes, & alia loca B. V. patrocinio solenniter devoveri, cōsecrariq; videmus quotidie, & jam olim devota, dicataq; fuisse magno antiquæ pietatis argumento audimus & legimus, successu longè fœlicissimo. Ut de alijs taceam, Bavariam totam Rupertus primus VVor-

matiensis Episcopus, ejus prosperitati consulens, Deiparæ devovit; quo fructu, declarat ipse Bavarix hodiernus status, quem totius Christianitatis bono videmus florentissimum. Constantinopolis, cujus prima fundamenta in Virginis protectione jacta sunt, tot templis eidem sacris tamque ferventi ejus cultu celebrata olim fuit, ut passim audierit Urbs Parthenia; eoq; titulo tam fœlix fuit, ut opes, fortitudo, decor, victoria, pax, rerum omnium affluentia in urbe Virginis cum Virgine domicilium fixisse viderentur. Sed postquam impietas Iconoclastarum, & furor schismaticorū avitum cultum Deiparæ exterminavit, tota illa nominis & Imperij gloria
 eva-

evanuit, & Luna toties trium-
phatrix, à vexillis Bizantinis
ad labara Mahometica devicta
& triumphata transivit.

Solennis etiam illa est de-
votio, quâ parentes, præsertim
puerperæ, quò partum foelicio-
rem fortiantur, proles suas Vir-
gini Matri donant & dicant,
cujus pietatis singulari exem-
plo posteris præluxit Margari-
ta Austriaca, Regina Hispaniæ,
Philippi III. conjux. quæ cum
esset partui vicina, peculiari
devotione Virginis auxilium &
velut obstetricantem manum
deposcebat ipsa ferventer, &
à suis efflagitari curabat. Inter
cetera mandabat novendiales
institui preces, supplicationes
que ad diversa templa Virgini
dicata, in quibus novem sacra

154 HORTVLVS

in ejusdem honorem solenni-
ter decantabantur. sacrum pri-
mum erat de Conceptione im-
maculata B. Virginis; secun-
dum de ejusdem Nativitate;
tertiũ de Præsentatione; quar-
tum de Annuntiatione; quin-
tum de Visitatione; sextum de
Expectatione partus; septimũ
de Purificatione; octavum de
Assumptione; nonũ illud quod
in festo B. MARIÆ ad nives ce-
lebrari solet.

Tempore verò partus offi-
cium de partu ejusdem B. Vir-
ginis, & Christi Domini nativi-
tate canebatur. His munita
præsidijs Regina, quam prolem
fæliciter enixa fuerat, eam so-
lenni delatam supplicatione,
ad ædem D. V. à S. Florentio
vulgò nuncupatã, stans coram
ejus

eius imagine miraculosa eidem
 devotissime offererebat, & co-
 piosam sibi suisq; prolibus be-
 nedictione reportabat, ingenti
 totius Ecclesiae gaudio, prout
 experientia testata est, testabi-
 turq; deinceps in plures annos.
 ita omnes Christiani vovemus
 & apprecamur. *In hist. Vita &
 mortis eius, p. 2. c. 10. § II.*

Sed ut ad eam veniamus ob-
 latione, de qua sequentibus ca-
 pitibus tractabimus, satis con-
 stat eos, qui se peculiari quoda
 ritu in B. V. clientelam tra-
 dunt, plurimum ab ea diligi, &
 praesens ejus in omnibus nego-
 tijs & necessitatibus suis auxi-
 lium persentire. Fide hujus rei
 facit S. Hermannus, cujus pro-
 pensissima in Deiparam volun-
 tas, tanto coelestis amoris aestu

ferebatur, ut nihil aliud cogitare, nihil loqui aliud quam DEVM, Deiq; Matrem liberet, immo eò tandem excrevit eius amor, ut quadam nocte vigil in precibus, ab Angelis in conspectum Deiparæ adductus, eorum monitu sese ei in sponsum tradiderit (à qua desponsatione nomen Ioseph deinceps cepit) & simul admirabilem dilectissimæ suæ sponsæ Virginis MARIÆ de se sollicitudinem, non tantum in majoris momenti rebus, sed etiã in parvis quibusq; sit expertus. Exempli gratiã, cum ob infirmitatem aperta ei vena fuisset, à B.V. est admonitus, quomodo sequenti nocte in strato jacere deberet, & præcavere ne vena jam occlusa iterum aperiretur. Alias cum
ad

M A R I A N V S. 157

ad Sanctimonialium Cænobiū
pergeret, venturo antevertit
Virgo MARIA, & Moniales ad-
monuit, ut eum benignè & co-
miter reciperent. Similia mul-
ta amoris in eum argumenta &
solicitudinis indicia prodidit
Deipara, quæ in ejus vita legi
possunt, *Apud Sur. 5. April.*

C A P V T II.

*Primus modus sese peculiari
cultu B. V. consecrandi,
communis omnibus cu-
juscumq; status.*

PRæmissâ confessione & sa-
crâ communionē, aliquo
die solenniori, & si fieri potest
B. V. festo, Imaginem ipsius in
Oratorio tuo, vel in alio quo-
piam

piam loco conspicuo cubiculi collocabis, ac cum intentione te tuaq; Deiparæ in perpetuum devovendi, flexis genibus hanc orationem recitabis.

Sanctissima Virgo Mater DEI MARIA, ego N. N. licet undecumq; famulatu tuo indignissimus, fretus tamen benignitate tuâ admirabili, & impulsus tibi serviendi desiderio, coram Curiâ cœlesti universâ, te hodie in Dominam, Advocatam, & Matrem peculiari ratione eligo, firmiterq; statuo ac propono me tibi ex hoc tempore semper obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atq; ut ab alijs quoq; tibi serviatur, pro viribus effecturum. Obsecro te igitur, pijsima Mater, per Filij tui, quem pro me effudit,
San-

Sanguinem, ut me in numerum tuorum devotorum adscribas, in servum perpetuum suscipias, ad sis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamque mihi impetres à Filio tuo, ut ita in omnibus cogitationibus, verbis & operibus me geram, ut nunquam te filiumque tuum offendam: ac memor sis mei, nec me deseras in hora mortis, Amen.

2. Exinde, imaginaberis cubiculum tuum esse sacrarium B. Virginis, quam in imagine sua tibi presentem veneraberis, nihilque in illo esse fines, quod ejus oculos possit offendere.

3. Quamprimum è lectulo surrexeris, ad imaginem conversus humili reverentiâ eam salutabis more filiorum benè moratorum, qui ubi surrexerunt,

runt,

runt, Matri faustum diem ap-
precantur. Idem facies vesperis
antequam decumbas, & utroq;
tempore benedictionem ab ea
petes dicendo. Nos cum prole
pia benedicat Virgo MARIA.

4. Posteaquam te indueris,
flexis genibus coram imagine
hanc orationem recitabis. O
Domina mea, Sancta MARIA,
me in tuam benedictam fidem,
ac singularem custodiam, & in
sinum maternæ misericordiæ
tuæ hodie & quotidie, & in ho-
ra exitus mei animam meam &
corpus meum tibi commendo,
omnem spem & consolatio-
nem meam, omnes angustias &
miserias meas, vitam & finem
vitæ meæ tibi committo, ut
per tuam sanctam intercessio-
nem, & per tua merita omnia
mea

mea dirigantur, & disponantur
opera, secundum tuam tuique
filij voluntatem, Amen.

5. Cum egredieris cubiculo,
eandem imaginem salutabis,
salutabisq; regrediens, imita-
tus aulicos qui in ingressu &
egressu cubiculi in quo Prin-
ceps est, reverentiam illi ex-
hibent.

6. Nihil cujuspian momen-
ti statues, nisi prius Virgine
Matre consultâ. Negotia tua
privata ac publica ei serio
comendabis, & si quæ gravio-
ra occurrerint, paucis verbis
chartæ mandata, sub pedibus
imaginis repones.

7. Denique in tentationi-
bus, & in omni adversitate ad
eam citò confu-
gies.

Exem-

Exemplis præcedentia confirmantur.

Hoc exercitium probat, & commendat S. Mater Theresa, quæ constituta Monasterij cuiusdam Priorissa, primò omnium in ipso obeundi muneris ingressu, se & Cœnobium totum B. V. devovit, in eumq; finem imaginem ejus in cathedra priorali collocavit, eiq; Monasterij claves unà cum regimine velut Superiori, cujus ipsa esset vicaria, obtulit. Quod sibi gratum fuisse Deipara deinde ostendit; nam in vigiliâ S. Sebastiani visibili specie in locum imaginis suæ se Diva Virgo substituit, ac domus illius gubernacula se suscipere declaravit. *In ejus Vita lib. 3. c. 1.*

Ferunt

Ferunt, qui viderunt, P.
Franciscum Suarez, illustrem
sanctitate & doctrinâ virum,
omnia sua dubia, quæ inter
studendum occurrerent, soli-
tum conferre cum B. V. à qua
cùm resolutionem acceperat,
sæpè visus est, genu flectere,
eiq; gratias agere.

His addo, quam ex Alano &
Alberto transumpsit historiam
Bonifacius noster. *l. 4. c. 9. hist.
Virginalis.*

Virgo quædam sanctimonia-
lis Ioanna nomine, in Cæno-
bio multùm dissoluto vivens,
cum Deiparæ Rosarium per-
legeret (sicut erat solita) de
cælo cadentem epistolam vi-
dit, cuius erat inscriptio: MA-
RIA Mater D E I filia Ioannæ
salutem. Litterarum ista sen-
ten-

164 HORTVLVS

tentia: Filia mihi admodum chara, Rosarium istud meum, ut instituisti, fac recites semper, viros fuge, & omnium eorum consuetudinem vita, qui tibi ad virtutem & veram animi libertatē capeſſendam minùs prodeſſe videbuntur. Caveto deſidiam, inertiam, & otium, rerum lautitiam, & ornatum curiosiorem removeto, & tuum repurga cubiculum, in quo aliqua remanent digna quæ à Religioſa muliere repellantur, horumq; in locū Chriſti & ſanctorum imagines, & ſacrarum rerum ſigna ſufficito, quarum te patrociniū deſenſioque ſervabit. Si me audies, & quæ tibi faciendā præſcribo, morigero cultu perficies, gratiâ apud Filium meum valebis,
&

& ego pro te DEVM omnipotentem in tuis rebus afflictis appellabo. Perlectâ Epistolâ, valdè animata est ancilla Christi ad ferventem B. V. cultum, & promptissimè quæcumq; in mandatis acceperat, executâ est: Aliquo post tempore cùm quidam Abbas eò venisset ut monasterium istud ad pristinae disciplinae statum revocaret, in eumque orans excubaret, vidit luce magnâ Ioannæ cubiculum illustrari, & in media claritate cœli Reginam stipatam agmine Angelorum, quibus Ioanna sociata precibus insistebat. interim fremebat ante ejusdem cellulam daemonum ingens multitudo, qui se diversarum sub imaginibus bestiarum conspicuos, & terribiles

les

les exhibebant. Sed Deiparæ
jussu repulsi, ad fatuarum Vir-
ginem cubicula transierunt,
aliasq; alij cellas occuparunt.

Obstupuit hoc spectaculo
Abbas, & intellectâ postro-
dum Joannæ in Virginem pie-
tate, Rosaria multa comparari
jussit, quæ in Moniales alias di-
stribuit, eas hortatus, ad illo-
rum piam & constantem reci-
tationem: quod dum faciunt,
omnes non ita multò post ad
normâ religiosam mores suos
composuerunt.

Hinc discis quid Deipara ab
ijs requirat (à singulis suo sta-
tui conformia) qui se suaque,
eo quo jam diximus ritu, ipsi
consecrarunt, quanti devotio-
nem illam faciat, quàm copio-
sè remuneretur. Itaque meritò
hō

hoc exercitiū tantoperè com-
mendat S. Bonaventura in epi-
stola quæ inscribitur 25. me-
morialium, ubi inter cætera
quæ ad piè viè vivendum mo-
nita istic collegit, in decimo
tertio hæc habet:

Gloriosam Reginam, Do-
mini Matrem benedictam, in
summo habeas omni tempore
venerationis affectu, & in cun-
ctis ad eam necessitatibus, pe-
riculis & pressuris, tanquam ad
refugium tutissimum te con-
vertas, ipsius tutelæ præsidium
flagitando, eamq; in tuam sus-
cipiens advocatam, devotissi-
mè, ac securè tuam ei causam
committas, quia Mater est mi-
sericordiæ, quotidie studens ei
singularem & specialem reve-
rentiam exhibere.

CA

*Secundus modus devovendi
se B. Virgini, Sodalitati
Partheniæ nomen
dando.*

Referri in album Sodalium
Partheniorum, eisque ac-
censeri non est aliud, quàm se
propalàm profiteri peculiarem
Virginis cultorem in ejusque
tutelam se suaque specialiter
tradere.

Quàm autem sit devotio ista
meritoria & utilis; quæ sint pij
Sodalis in D. Virginem officia;
quæ exercitia, satis liquet ex
ijs, quæ varij eâ de re in lucem
ediderunt.

Tria tantùm hîc Sodalibus
commendabo, magnoperè ne-
cessaria ad eam, cum qua So-
dali-

dalitatem ingressi sunt, devotionem conservandam & augendam.

1. Vt singulis diebus manè statim ac surrexerint è strato, vel si malint, sub sacrum orationem Sodalitatis recitent eo desiderio propositoq; servien- di B. V. & leges statutaq; Sodalitatis observandi, quo illam primâ vice admissi in Congregationem pronuntiarunt.

2. Vt singulis item diebus manè seligant unum peccatum à quo statuunt isto die abstinere, & opus aliquod bonum quod velint exequi in honorem Deiparæ.

3. Vt vesperi sese circa hæc duo proposita examinent; primò quidem circa orationem manè recitatam, maximè circa

K

hæc

hæc verba: *Firmiter statuo, & propono me nunquam te derelicturum, neq; permissurum ut aliquid à meis subditis contra tuum honorem unquam agatur.* An hoc tam devotæ mentis, & tam propensæ in Virginis honorem, decretum adimplerint; deinde an ab illo peccato abstinuerint, opusque bonum præstiterint, de quo manè fuit propositum.

Qui in hæc sedulò incumbunt, indubiè experientur eundem in se Virginis affectum, quem expertus est quidam dissolutus juvenis & discinctus nepos, uno hoc nomine laudandus, quòd castitatem coleret. Hic posteaquam bona sua abligurijset, in remedium levamenq; suæ miseriæ de Patru con-

consilio, qui eum varijs modis ad meliorem frugem revocare frustra hæctenus tentârat, statuit anno integro diebus singulis Coronam unam Deiparæ recitare. Nec sinè fructu; nam multa malefanorum consortia jam evitabat, jam à gravioribus abstinebat criminibus: adjunxit itaque secundo anno alteram Coronam; & quia successus in dies fœlicior animum illi ad majora dabat, ejusque spem lætabat certius, tertio anno integrum Rosarium tribus constans Coronis constanti ipse pietate in dies singulos persolvit. Quid deinde? hoc trium annorum expleto penso, cùm jam in alium ab eo qui fuerat, evasisset, & suâ pietate, modestiâ, morumq; maturita-

te gratiosus omnibus apparet, non difficulter ei Patruus honestum & condignum matrimonium procuravit. sed ecce ipso nuptiarum die inter epulandum juvenis ex inopinato, memor se, alijs distentum, necdum isto die solitas Angelicas salutationes Virgini obtulisse, nescio quid aliud fingens, surgit à mensa, & obserato cubiculo flexis genibus Rosarium recitat, non majore pietatis sensu, quàm fructu. Jam finierat, cùm Virgo Mater sole splendidior sese ipsi visibili formâ dat in conspectum, eique tres exhibet togas, quas ipsa suæ tunicæ affixas gestabat, anteriorem unam, laterales alias; Ecce, inquebat, Salutationes tuæ aureis signatæ literis, quibus metribus

tribus in quinquagenis sedulus
honorasti; earum mercedem,
simul & custoditeꝝ hactenus Vir-
ginitatis, intra triduum reci-
pies, consors nuptiarum Agni.
Nec eum sua devotio, nec ejus
devotionem fefellit Virginis
misericors promissum. Post tri-
duum mortuus est; imò cælo
vivere cœpit. *A Cantip.l. Apum.*
2. c. 29. p. 6.

Tanti refert aliquod singula-
re, & determinatū obsequiū fir-
mo constantiq; proposito B.V.
deferre quotidie, & illius à se
interdiu, præsertim vesperi, ra-
tionē exigere, ut si deprehen-
datur in illud usq; tempus dila-
tum, saltem per pœnitentiã ne-
gligentia corrigatur & emen-
detur, & si fieri possit, pensum
etiam tunc persolvatur.

*Tertius modus Devovendi se
B.V. per ingressum in
Religionem.*

CUm quilibet Religiosus
ordo rectè dici possit &
verè fit familia B. Virginis,
quippe in ejus tutela patroci-
nioque specialiter constitutus,
manifestum est, quòd quicum-
que Religiosum statum ample-
ctitur, eo ipso sese B.V. pecu-
liariter devoveat, & annulo
votorum, præsertim Castitatis,
ipsi desponsetur. Quod mani-
festum fit exemplo Roberti Ci-
sterciensium Fundatoris, cujus
Matri (Engardi nomine) præ-
gnanti Virgo Mater apparuit
annulum aureum in manu ge-
stans, eamque sic affata est: En-
gar-

gardis, Filium quem geris, hoc annulo mihi desponsari volo. Quæ cùm experrecta rem gaudens notâsset, iterùm eâdem objectâ visione, confirmata est. Nec aliter veritatem exitus comprobavit, quam per ingressum Roberti Filij ipsius in Religionem, quæ desponsationis titulo à Deiparæ prædicebatur, sicut votum castitatis ab eadem per annulũ aureum designatũ est. *Plat. de bono status Relig. l. 1. c. 34.* Omitto innumera alia exempla, ex quibus cùm evidenter constet Religiosas omnes familias esse sub cura sanctissimæ Virginis, est sanè, inquit Platus, *ibid.* quod majorem in modum Religiosi gaudeant, & sibi ipsis de tanto bono gratulentur, quòd, quam

Beati omnes in cœlo ut Regi-
nam venerantur, eandem quo-
que ipsi Reginam & Præsidentem
habeant in terris: quid enim ei
desit, qui hujus præsidio fulcia-
tur? cùm nec malum ullum tan-
tum inveniri possit, quod non
ejus viribus facile depellatur,
nec ullum tantũ bonum, quod
non ejus gratiã & deprecatione
facile impetretur. Lege plu-
ra apud eundem. Itaque, si qui
alij, certè Religiosi toti incum-
bere debent in cultum Deipa-
ræ, in cujus familia degunt vel-
ut domestici, immò ut filij.

1. Habeant peculiaria quæ-
dam exercitia suo instituto
conformia quibus B. Virginem,
singulis diebus honorent.

2. Deinde ejus amorem &
cultum in alijs promovere stu-
deant,

deant, hortenturq; ad Rosarij recitationē, & festos dies Virgini sacros devotè celebrandos per frequentationem Sacramentorum, aliaq; pietatis exercitia.

3. Denique & potissimùm memores sint quotidie ex animo gratias agere Virgini Matri, pro beneficio tam singulari vocationis Religiosæ, in quem finem usurpari poterit exercitium sequens.

Exercitium proprium Religiosis ad agendum grates B. V. pro beneficijs per eam acceptis, & præsertim pro beneficio vocationis Religiosæ.

Invo-

INvocato S. Spiritus auxilio,
 collocabis te in præsentia
 B. Virg. quasi eam Angelorum
 choris & omnibus Beatis Re-
 ligiosis tui Ordinis stipatam,
 blando te vultu, & misericor-
 dibus oculis intuentem con-
 spiceres. Hoc veluti præludio
 peracto.

1. Considerabis & in memo-
 riam revocabis, quot à Deipa-
 râ beneficijs hætenus sis cu-
 mulatus; eaque in duas classes
 divides, quarum prima conti-
 neat beneficia præstita ante
 vocationem; 2. complectatur
 beneficiũ vocationis, & cæte-
 ra quæ post ingressum Religio-
 nis recepisti. Hæc porrò ma-
 terna B. V. in te misericordia
 adumbrata fuit in Rebecca Ma-
 tre Iacob, quæ duo potissimum
 præ-

præstitit filio suo, unde tota
ejus fællicitas emanavit.

Primò enim magnâ sollici-
tudine benedictionem à Patre
Isaac illi procuravit. Secundò
effecit ut fraternam declinans
iram, egressus è patria, abierit
in Mesopotamiam, ubi uxorem
duxit & summoperè ditatus est.
Sic tibi B. Virgo, tanquam al-
tera pientissima Mater Rebec-
ca, benedictionē à Patre æter-
no, & singulares gratias impe-
travit; ac præ omnibus gra-
tiam vocationis; effecitque ut
egressus è Patria, & cognatio-
ne tua Religionem velut ter-
ram promissionis lacte & melle
consolationum & meritorum
manantem ingredereris.

2. Æstimabis, & ponderabis
hæc omnia beneficia, tum pro-
pter

pter eorū multitudinem (quis verò ea enumeret!) tum propter magnitudinem. Inter cetera quantum illud est, quòd per vocationem Religiosam à Virgine Matre procuratam, membrū effectus sis illius Congregationis, in qua tantoperè amatur, & colitur! Unde fit ut omnia obsequia quæ per Religionem tuam, vel in ipsa, vel extra ipsam deferuntur B. Virgini, tibi etiam imputentur, quasi ea omnia præstares. Verè enim dicere potes, Particeps ego sum, Domina, omnium timentium, amantium, & colentium te, in hac Religione, & per ipsam.

3. Ex his considerationibus elicies sequentes affectus. Humiliabis te, abijciesq; ad pedes

MA-

MARIAE, indignum te reputans
tanto ejus amore & affectu.

Ages illi gratias quo poteris
fervore pro materna ejus de te
solicitudine, & ad idem præ-
standum creaturas omnes inci-
tabis: imitatus parvulos, qui
cuncta quæ accipiunt, Matri &
Nutrici referunt accepta.

Sed quid rependes tantæ
benefactrici? omnino statues
ipsam complecti amore verè
filiali, & obsequia digna isto
amore in æternum deferre. Ad
hoc te excitat D. Bernardus his
verbis. *Serm. de Nativitate B. MA-
RIÆ.* Totis medullis cordium,
totis præcordiorum affectibus,
& votis omnibus MARIAM ve-
neremur, quia sic est voluntas
ejus qui totum nos habere vo-
luit per MARIAM; in omnibus

L siqui-

siquidem & per omnia provi-
dens miseris, trepidationē no-
stram solatur, fidem excitat,
spē roborat, diffidentiam abij-
cit, erigit pusillanimitatem,
Hæc ille.

Deniq; petes ferventem in
ipsius cultu & in sancta voca-
tione tua ad mortem usq; per-
severantiam.

Conducet plurimū ad hanc
gratitudinem & amorem B. V.
augendum, delibare & degusta-
re inter meditandum aliquos
variorum Religiosorum tener-
rimos in eam affectus.

Cū Religiosi S. Dominici
(ut habetur in ejus vitâ *lib. 2.
ca. 12. & lib. 5. c. 6.*) intellexis-
sent se visos esse à S. Domi-
nico & piâ quadam muliere sub
pallio B. Virginis, quæ pecu-
liaris

liaris amoris brachijs eos complectabatur, tanta extitit eorum erga Virginem devotio & reverentia, tantum ejus amandæ & colendæ studium, tam sedulæ ac ferventes ad eam preces, tam ingens amor, tanta patrocinijs ejus fiducia, tam avida & insatiabilis ejus contemplatio, ut humano sermone nequeat explicari.

Idem de Religiosis Soc. JESU vidit P. Martinus Gutterus Hispanus, ejusdem Soc. vir Religiosissimus, qui ab hæreticis captus (de morte sua ante per B. V. præmonitus) inter eorum manus, in summis omnium rerum incommodis brevi decessit. Hic, inquam, contemplatus est aliquando B. V. eximiâ admodum specie micantem, veste

L. 2

præ-

præterea in magnam latitudi-
nem expansâ , ac sub ea Soc.
JESV universam contineri, quâ
illa materno affectu comple-
tebatur, & suæ gratiæ & cha-
ritatis tegumento confovebat.

Platus supra.



HORTULI MARIANI

Areola quarta

HYACINTHO-
RUM.

In qua continentur diversa ob-
sequia & officia erga B.V.
velut totidem cœlestis vi-
tæ & conversationis (cujus
Hyacinthus est symbolum)
exercitationes.

CA.

MARIANVS. 185

CAPVT I.

*De Salutatione An-
gelica.*

PRæ alijs omnibus hæc B.V.
gratissima salutatio, prout
ipsamet declaravit S. Mechtil-
di, quæ cum anxia versaret ani-
mo, quodnam Virgini acceptis-
simum obsequiũ exhibere pos-
set, vidit illam gestantem in
pectore aureis exarata[m] litte-
ris Angelicam salutationem,
excepitq; hæc ejus verba: su-
pra hanc salutationem, exce-
pitque hæc ejus verba: supra
hanc salutationem nunquam
homo pervenit, nec aliquis
dulcius me salutare poterit,
quàm is qui salutat in illa re-
verentia, quã **D**EVS Pater me
per hoc verbum (Ave) saluta-

L 3

vit,

vit, confirmans me omnipo-
 tentiâ suâ, ut essem immunis
 ab omni vâ culpæ. Filius quo-
 que DEI suâ divinâ Sapienciâ
 sic me perlustravit, ut sim cla-
 rum sidus, quo cœlum & terra
 illustratur, quod per hoc no-
 men (MARIA) quod sonat ma-
 ris stella, notatur. Spiritus san-
 ctus etiam totâ suâ divinâ dul-
 cedine me penetrando, tam
 gratiosam effecit, ut omnis qui
 per me gratiam quærit, ipsam
 inveniat, quod innuitur per
 hoc verbum (Gratia plena.) In
 hoc quoque verbo (Dominus
 tecum) admoneor ineffabilis
 unionis & operationis, quam
 tota Trinitas perfecit in me,
 cum carnis meæ substantiam
 divinæ naturæ in una persona
 copulavit, ita ut DEVS fieret
 homo

M A R I A N V S. 187

homo, & homo DEVS. quid illâ horâ gaudij & dulcedinis fenserim, nullus hominum potuit experiri. Per (benedicta tu in mulieribus) omnis creatura mirando agnoscit & contestatur me benedictam, & exaltatam super uniuersa. Per (benedictus fructus ventris tui) benedicitur & extollitur excellentissimus & perutilis fructus ventris mei, qui omnem creaturam vivificavit, sanctificavit, & in æternum benedixit. His B. V. subjunxit, de tribus Ave M A R I A quotidie recitandis pro fœlici morte impetranda; de quibus diximus supra art. 1. cap. 5.

Perutile est etiam singulis horis ad campanæ pulsum semel salutationem Angelicam

L 4 lege-

legere, cui devotioni concessas esse à sancta Sede Apostolica indulgentias diximus supra art. 2. c. 5.

Præterea devotè observanda est consuetudo, ter in die, manè, meridie, vesperi tres salutationes Angelicas ad totidem pulsus recitandi, præmissis versiculis: Angelus Domini, Ecce Ancilla, & Verbum caro factum est, in honorem trium præcipuorum mysteriorum resurrectionis, Crucifixionis, & Annuntiationis Angelicæ, ac Incarnationis Dominicæ.

CAPVT II.

*De corona B. Virginis, sive
Rosario. primus modus
legendi Rosa-
rium.*

Anti-

Antiqua & celeberrima est
 ea B. V. salutandi formula,
 quæ constat centum quinquaginta salutationibus Angelicis,
 præmissâ cuilibet decadi oratione Dominicâ. Nec minùs in
 usu est illa, quæ ex sexaginta
 tribus salutationibus Angelicis
 componitur, juxta numerum
 annorum quibus in terris Dei-
 para vixisse creditur, adjunctâ
 cuilibet decadi oratione do-
 minicâ. Prior formula Rosa-
 rium vocatur, utpote ex mysti-
 cis rosis contexta, & authori
 S. Dominico accepta refertur.
 Posterior dicitur Corona, quâ
 se ipsamet Virgo velut seruo
 redimiri demonstravit; ut di-
 cemus infra c. 4. eamque Ordo
 Minorû latè propagavit: quam
 & ipsa Corona nomen

L 5 Rosa-

Rosarij passim obtinuit, & nos hic ex usu loquendi pervulgato nomina ista confundemus.

Utilitatis verò & consolationis, supra quam explicari possit, maximæ est, Rosarium seu Coronam B. V. quotidie offerre; quam oblationem, ut fructuosior & sapidior fiat, expedit diversis considerationum modis condire, quales passim reperiuntur in libellis precarijs: Tres hîc dumtaxat proponemus velut aliorum fontes. Nunc de primo.

Primus modus legendi Rosarium est ille, in quo attentionis ad verba, potissima ratio ferè habetur, cum aliqua sensuum ad eadem applicatione; ideoq; facilis est, si discretè sequentia serventur.

I. Pri-

1. Priusquam legere Rosa-
rium incipias, paululum te re-
collige, attendens quam nobi-
le, & omnino Angelicum offi-
cium sis obiturus, & ad quam
intentionem.

2. Signans te Cruce incipe
hoc versiculo: Eia mea labia
nunc annuntiate laudes & præ-
conia V. Beatæ. Dignare me
laudare te Virgo sacrata, Da
mihi virtutem contra hostes
tuos.

Deinde lege primam deca-
dem adhibitâ consideratione
infra ponendâ. Eâ ritè absolu-
tâ dices: Benedicant tibi, ô
Mater DEI, & Virgo MARIA,
decies millies omnes SS. An-
geli. Perfectâ 2. decade, Bene-
dicant vigesies millies omnes
SS. Patriarchæ & Prophetæ.

192 HORTVLVS

Post 3. trigesies millies omnes
SS. Apostoli. Post 4. quadra-
gesies millies omnes SS. Mar-
tyres. Post 5. quinquagesies
millies omnes SS. Confeslores.
Post 6. centies millies omnes
Sanctæ.

Recitando tria postrema Ave
MARIA, in primo salutabis Vir-
ginem MARIAM, Filiam Patris
æterni, petens virtutem Fidei
& offerens corpus tuum in ejus
obsequium.

In secundo salutabis Virgi-
nem MARIAM Matrem Filij
DEI, petens virtutem Spei, &
offerens animam tuam.

In tertio salutabis Virginem
MARIAM, Sponsam Spiritus S.
petens virtutem charitatis, &
offerens reliqua omnia, quæ
aliquo titulo possunt esse tua:

ad

ad Crucem subnectes Symbo-
lum Apostolorū. Absoluto Ro-
sario recitabis Hymnum, Ave
maris Stella cum versiculo, An-
gelus Domini, & collectā Gra-
tiam tuam. Addunt nonnulli
Psalmum De profundis pro de-
functis. Concludes per Psalmū
Laudate Dominū omnes gen-
tes. Ista communia sunt omni-
bus modis, propria huic modo
sunt hæc.

*In prima decade percur-
renda.*

IMaginaberis singula Ave MA-
RIA, esse velut lapides pre-
tiosos aut quæpiam alia orna-
menta aspectu pulcherrima,
quæ Deiparæ offeruntur per
manus Angeli tui Custodis ad

L 7 texen-

texendam illi Coronam, aut
togam exornandam.

Nec caret fundamento hæc
imaginatio, ut patebit ex se-
quenti historia *Dionys. Car-*
thus. serm. 1. de Assumpt. 13. &

Monacho cuidam Cisterci-
ensi, cui solenne erat Virginem
Matrem quotidie Rosario de-
votè salutare, cùm quadam die
flexis genibus solus in cubiculo
solitum pensum expleret, ap-
paruit Virgo pijsissima, togam
ostentans pulcherrimam, quæ
tota (demptâ unâ exiguâ par-
te) mirum quantū refulgebat,
salutationibus Angelicis aureis
characteribus descriptis. Vi-
den', agebat Deipara, quo in
pretio mihi sint salutationes
quas hætenus obtulisti? Post-
quam huic parti (monstrabat
par-

partem togæ necdum ornatâ)
 suus decor ab iisdem accesserit,
 te vestitum gloriâ & decore in
 regnum Filij mei introducam.
 Itaq; quasi hoc modo tibi præ-
 sentem Virginem spectares, in-
 terim dum primam decadem
 percurris, offeres illi salutatio-
 nes velut lapides pretiosos, &
 velut monilia oculis ipsius, ac
 totius Curiaë cœlestis gratissi-
 ma & jucundissima, obseca-
 bisque ut ipsa vicissim animam
 tuam virtutum & gratiarum
 ornamentis decoram, sibiq; &
 Filio suo gratissimam reddat.

*In secundâ decade reci-
 tandâ*

I Maginaberis singulas salu-
 tationes esse harmoniam &
 melos suavissimum, illi persi-
 mile,

mile, quod Angeli in Natiuitate Domini, ac aliàs sæpè, B. V. salutando decantarunt; quorum te applicans choris, salutationes istas, licèt ore stridulo & inconditâ voce à te prolata, Virginis tamen auribus ex se gratissimas, illi offeres; petesq; ut te in cœlo peritiorem Phonscum efficiat, quò possis condigno modulamine ejus misericordias in æternum decantare.

Cùm leges tertiam decadem.

IMaginaberis salutationes Angelicas esse tot rosas fragrantissimas, quales sæpiùs visæ sunt.

Quidam Religiosus ex Ordine Minorum, ex piâ & usu longo
longo

longo jam corroboratâ con-
 suetudine, nihil omninò gusta-
 bat edulij, nisi priùs B. V. Co-
 ronam recitasset. Sed ut natu-
 râ obliuosi sumus, & homini
 quantumvis sollicito nonnun-
 quam quæ agere decreverit,
 excidunt memoriâ; quodam
 die jam accubuerat mensæ, ad-
 huc tamen jejunus, cùm inter-
 missæ consuetudinis recorda-
 tur. Angitur vir pius, & urgen-
 te in Virginem affectu, petit, &
 impetrat à superiore veniam
 surgendi à mensa, & in templū
 se legendæ Coronæ gratiâ illi-
 cò conferendi. Jam penè per-
 legerat, cum is, qui ad eum re-
 vocandum à superiore missus
 fuerat, ipse suis oculis contē-
 platur Deiparam fulgidâ in spe-
 cie, duobus comitatam Ange-
 llis,

lis, qui rosas pulcherrimas à
 precantis ore excipiebant, eas-
 que capiti Reginae suae impo-
 nebant. Sed & hoc inter cæte-
 ra distinctè adnotavit, quoties-
 cumq; in fine salutationis An-
 gelicæ Religiosus nomen Sa-
 crosanctum J E S V pronuntia-
 ret, non ipsum tantum, sed &
 Angelos & B. V. caput reveren-
 ter inclinasse. *Chron. Min. p. 3.*
l. 1. c. 36. & 37. Quid animi ex
 hoc spectaculo, quantum gau-
 dij & cœlestis voluptatis, qua-
 lem affectum erga Virginem
 uterque persenserit, non est
 quod edisseram; satis per se
 colliget quisquis hæc leget, &
 multò magis qui hujus exem-
 plo permotus, Virginis Coro-
 nam quotidie leget. Non absi-
 milem historiam narrant eo-
 run-

rundem Minorũ Chronica *ibi-*
dem de quodam novitio, qui
 hoc monitum & mandatũ ad-
 versus quasvis tentationes præ-
 sens antidotum à Magistro suo
 acceperat, ut quotidie, prius-
 quam quidquam ederet, Coro-
 nam Deiparæ recitaret. Hunc
 variæ occupationes ab obe-
 dientiã impositæ ita semel dis-
 traxerunt, ut solitæ devotio-
 nis immemorem reddiderint.
 Itaq; mensæ accubuit necdum
 lecto Rosario, cuius rei certior
 illicò factus superior, graviter
 eum increpuit, iussitq; quam-
 primum à mensa surgere, ad
 templum pergere, ibiq; Coro-
 nam legere. Dum paret, visus
 est ei adstare Angelus, qui in
 aureum filum rosas decem, &
 aureum item lilium inferebat,

ex quibus quam texuerat Coronā, ipsius Novitij capiti imponebat. Atq; ad ejus miraculi monumentum ex eo loco, ubi hic devotus & obediens precator flexerat, per diu afflatus est odor rosarum & liliorum sanè suavissimus. Tu itaq; velut simili permotus spectaculo salutationes Angelicas offeres Virgini, quasi totidem rosas ipsi, Angelis, & tibi longè odoratissimas, eiq; supplicabis ut gratiam tibi impetret boni exempli odorem & sancti nominis sui unguentum, juxta conditionem status tui longè lateq; diffundendi.

In quarta decade recitanda.

Ima-

IMaginaberis salutationes An-
 gelicas esse velut mel in ore
 dulcissimum, & ferculum longè
 sapidissimum, quales eas degu-
 stavit Matrona quædam Colô-
 niæ, cujus palatum, quoties Ro-
 sarium recitaret, tam grato sa-
 pore imbuebatur, ut suam cre-
 deret salivam in mel converti.
 quod ab ea intelligens Marsi-
 lius quidam, ibi inclusus propè
 templū sancti Severini, & ipse
 illius exemplo Rosarium lege-
 re exorsus, post sex hebdoma-
 das eam in ore & gutture, dum
 salutationem Angelicam pro-
 nuntiaret, experiri cœpit dul-
 cedinem, quæ mellis suavitatē
 longè exsuperaret. *Cæsar lib. 7.*
c. 50. Tu similiter spiritali gu-
 stu has salutationes delibans,
 declarabis B. V. quàm sint dul-
 cia

cia faucibus tuis ejus præconia, petens ut & ipsa tuas orationes, licet è lance non satis mundâ & pretiosâ propinatas, sapidè degustet, impetretq; tibi eam consolationum cœlestium dulcedinem, præ quâ tibi terrena omnia planè desipiant.

In quintâ decade legendâ.

REputabis salutationes Angelicas esse quasi res sacratissimas, quæ cum reverentia attrectari debeant; vel ut vasa magnis referta thesauris; vel deniq; velut amplexus & oscula, quæ & ipsius Virginis, & Christi infantuli pedibus præbeas. Sanè esse has salutationes sacratissimas, satis liquet ex eo, quòd

quòd velut oleo S. Spiritus, à quo dictatę sunt, fuerint injunctę, & ad eas primùm pronuntiandas SS. Trinitas usa sit nobilissimis & sanctissimis instrumentis, Archangelo Gabriele, S. Elisabethâ, & Ecclesiâ sponsâ suâ. Esse velut vasa, in quibus thesauri pretiosi recondantur, colligere est ex visione exhibitâ S. Gertrudi, quę Rosarium recitans contemplata est singulas salutationes Angelicas quas pronuntiabat, vel potiùs singula earum verba, esse tot aureos denarios ex thesauro cordis & oris sui Deiparę oblatos, quos ipsa longè lubentiùs attrectaret, multoq; pluris faceret, quàm avari nummos suos. *Lib. 4. Revel cap. 55.*
Denique sicut Deipara Filium suum

suum IESVM dedit amplexam :
 dum Pastoribus, tribus Magis,
 Simeoni, & deinceps in multis
 apparitionibus permultis cli-
 entibus suis dum Rosariū reci-
 tare, ita beneficiū idem tibi
 invisibiliter conferri imagina-
 re, & attestare Virgini Matri,
 nil tibi è terrenis omnibus sa-
 cratius & pretiosius esse, quàm
 humiliter & devotè vestigia
 pedum ejus, & Christi exoscu-
 lari tot osculis, quot verba
 profers legendo Rosarium. Ro-
 gabis ut ipsa Virgo has saluta-
 tiones tuas acceptet, ut pre-
 tiosas & se dignas, teq; ample-
 xu misericordiæ suæ in æter-
 num stringat, materniq; amo-
 ris osculo digne-

tur.

Cum

*Cùm sextam decadem
recitabis.*

I Maginaberis actus intelle-
ctus & voluntatis, quos elicis
legendo Rosarium, esse velut
radios splendidissimos; velut
flammas ardentissimas; velut
jacula in cor ipsius Virginis evi-
brata à corde tuo ejus amore
transfixo. Sanè revelatum est
S. Gertrudi Archangelum Ga-
brielem toties novo Spiritus
irradiari fulgore, quoties An-
nuntiatio per ipsum Virgini fa-
cta devotè recolitur & recita-
tur; *ubi sup. c. 12.* quidni ergo
salutationes illas vocemus ra-
dios? quidni jacula? cùm etiam
legamus S. Matrem Theresam
D. Virginis cultui addictissimã
ab Angelo, spiculo aureo divini

M ano.

amoris, transfixam. Tu ergo sextam decadem Coronæ perlegens, declarabis Virgini, has salutationes esse velut totidem soles quibus irradiaris; totidem flammis amoris quibus ardeas; totidem jacula quibus transfixus colliquefcas; petesq; ut amorem vicissim suum istis tuis, licet exiguis & imparibus, provocata obsequijs, ubere miserationum suarum influxu tibi exhibere non cesset: præsertim verò mentem tuam suarum perfectionum & virtutum cognitione illustrare, corq; tuum suo amore vulnerare ita pergat, ut ipsius cultui & imitationi fidelis & constans immoreris, usque dum immoriaris.

Poteris aliam methodum in
his

his considerationibus observare, videlicet ut quælibet assignata singulis decadibus, sufficiant singulis Rosarijs, & sic habebis in hoc capite sex diversos modos legendi Rosarium.

CAPVT III.

*Secundus modus legendi
Rosarium.*

Secundus modus est ille, in quo adhibetur attentio potissimum ad sensum verborum salutationis Angelicæ, & orationis Dominicæ.

Et ut facilius sit hæc attentio, revoca tibi in mentem celebre illud miraculum, & nulli non cognitum, quod Romæ contigit Anno 590. in solenni supplicatione ad avertendam

M 2 tunc

tunc maximè grassantem pestem institutâ, in qua celebri pompâ DEI Genetricis imago à S. Luca depicta deferebatur, eo successu, ut quemcumque subiret locû, statim istic optata salubritas consequeretur. Tunc auditi sunt ab omnibus (majorene eorum stupore, an voluptate) cantantes Angeli & B. V. congratulantes his verbis: Regina Cœli latere, alleluja, Quia quem meruisti portare, alleluja, Resurrexit sicut dixit, alleluja; quibus subjungit S. Gregorius Pontif. divino edoctus instinctu, & totius populi nomine: Ora pro nobis DEVM, alleluja. Non ita multo post Angelus, qui stans super molem Hadriani justus scelerum vindex enses nudaverat in

sup-

Supplicia, visus est eundem in
vaginam recondere, in signum
impetratæ misericordiæ. *Ba-
ron. tom. 8. ann. 590.*

Consimili habitâ imagina-
tione i. considerabis ex unâ
parte, te priora verba saluta-
tionis pronuntiare in persona
Archangeli Gabrielis, Ange-
lorum turmâ stipati, Virginem
in cœlo (prout olim in Naza-
reth) salutantis. Conaberis
eosdem affectus in te exprime-
re, reverentiæ, gratulationis,
laudis, exultationis & similes,
quos verba requirunt.

Ex altera parte imaginabe-
ris S. Elisabetham distinctum
chorum cum omnibus homi-
nibus beatis ducentem, & Vir-
gini congratulantē eodem ap-
plausu, jubilo, amore, & alijs

210 HORTVLVS

affectibus, quibus olim cum infante Joanne, quem in utero gestabat, eam salutavit, his verbis: *Benedicta tu in mulieribus, &c.* Imitaberis eam, simili sensu, affectuq; ea verba pronuntiando.

Deniq; contemplaberis universam Ecclesiam militantem, multis miserijs & persecutionibus in hac lachrymarum valle agitaram & afflictam, ad B.V. pedes prostratam, & misericordiam implorantum (quam tibi exhibet supradicta historia) in ejusq; persona recitabis postremam partem: *Santa MARIA, &c.* supplex rogans adversus tot mala subsidium, & ad bona acquirenda salutarem & efficacem intercessionem, simulque commendabis

dabis intentionem particularem.

Has considerationes ita poteris commodè partiri, ut primis duabus decadibus maximè attendas ad sensum verborum Angeli; in alijs duabus, S. Elisabeth; in postremis duabus, sanctæ Ecclesiæ.

Inchoabis & concludes hunc modum sicut priorem.

C A P V T I V.

*Tertius modus legendi
Rosarium.*

Facilis est etiam hic legendi modus, in quo potissimum attentio fertur circa mysteria vitæ Christi Domini & B. Virginis, duabus prioribus attentionibus aliquo modo intervenientibus.

M 4

Hæc

Hæc mysteria passim assignantur quindecim. quæ ita partieris.

Gaudiosa (quæ sunt Annuntiatio Angelica, Visitatio S. Elisabeth, Nativitas Christi Domini, Præsentatio ejus in templo, ejusdem in eodem inter Doctores Inventio) percurreres diebus Lunæ, Martis, & Mercurij, singula singulis assignans decadibus, & sextæ vel omnia simul, vel unum ex prioribus repetes, in quo majorem animi motum persenseris. Inter legendū existimabis te Mysterium ipsum quod contemplaris, Virgini ostendere vel enarrare, virtutes in illo expressas & beneficia per illud collata commemorare, gaudento, grates agendo, offerendo

do te & tua, petendo conformia mysterio, & intentionem particularem commendando.

Dolorosa (quæ sunt Oratio Christi Domini in horto, Flagellatio, Coronatio, Baiulatio Crucis, & Crucifixio) recoles diebus Veneris & Sabbathi eodem modo quo gaudiosa, addendo maximè affectum compassionis.

Gloriosa (quæ sunt Resurrectio Christi Domini, Ascensio, Missio Spiritus sancti, Assumptio D. Virginis, & ejusdem Coronatio,) usurpabis diebus dominicis & Iovis sicut priora, exercendo maximè affectum gratulationis, & desiderium celestis gloriæ.

Sunt qui totam vitam Christi & B. V. in singulas Hebdomadas

214 HORTVIVS

madas partiuntur hoc modo.

Die Lunæ recolunt 1. expectationem ortus & partus B. V. ab ipso mundi nascentis exordio; quot oraculis promissus fuerit; quot figuris adumbratus; quot votis expetitus. 2. ejus immaculatam Conceptionem. 3. ejus sanctam Nativitatem. 4. ejusdem oblationem in templo. 5. annos pueritiæ ejus & votum virginitatis ab illâ emissum. 6. Desponsationem Iosepho.

Die Martis considerant 1. Angelicam Annuntiationem. 2. Visitationem S. Elisabeth. 3. Nativitatem I E S V Christi. 4. Adorationem Pastorum 5. Circumcisionem. 6. Adorationem Regum.

Die Mercurij recogitant 1. Puri-

M A R I A N V S. 219

Purificationem B. V. & Præ-
sentationem Christi in templo.
2. Fugam in Ægyptum & se-
ptennem in ea habitationem.
3. remansionem Christi Domi-
ni in templo, & ejus inventio-
nem. 4. ejusdem pueritiam &
vitam usque ad annum trigesi-
mum. 5. recessum ejus à con-
tubernio Matris, Baptismum
& Jejunium. 6. prædicationem
& miracula.

Die Iovis meditantur. 1. In-
gressum solennem Christi Do-
mini in Ierusalem. 2. Lotionem
pedum Apostolorum. 3. Insti-
tutionem Sacrosanctæ Eucha-
ristiæ. 4. Orationem in horto.
5. Captivitatem. 6. In domo
Annæ & Caiphæ Passionem &
Petri negationem.

Die Veneris contemplantur
Chri-

Christum Dominum ad Pilatum & Herodem traductum. 2. Flagellatum. 3. Coronatum. 4. Ostensum populo, Ecce homo. 5. Condemnatum & bajulantem Crucem. 6. Crucifixum.

Die Sabbathi revoluunt mente 1. verba Christi Domini in Cruce prolata, & potissimum hæc, Ecce Mater tua, Ecce Filius tuus. 2. Mortem ejus. 3. Planctum B. Virginis. 4. Depositionem Corporis Christi de Cruce. 5. Sepulturam. 6. descensum animæ ejus ad Inferos.

Die Dominico recolunt 1. Resurrectionem Christi Domini. 2. Ascensionem ejus. 3. Missionem Spiritus sancti. 4. Reliquam vitam B. V. usq; ad mortem. 5. Triumphantem Assumptionem. 6. Coronationem, & patro-

patrocinium universorum hominum illi demandatum. Hoc exercitium meditandi mysteria Christi Domini & B. V. inter recitandum Rosarium maximo in pretio habitum, & constanter in usu fuit S. Carolo Borromæo insigni ejusdē Virginis cultori. *In ejus Vita lib. 8. c. 2.* Immo S. Bernardinus Senensis quidquid gratiæ & charismatum cælitus unquam obtinuit, attestatus est sese impetrasse per devotam gaudiorum B. V. recordationem, in quorum honorem quotidie Coronam recitabat. *In ejus Vita.*

Singulare verò hujus devotionis testimonium desumi potest ex Chronicis Minorum, quæ perhibent Clericum quendam sæcularem, qui quotidie

N ferto

fertō Florum B.V. imaginem
 exornare consueverat, Ordinem
 Minorū intrasse, ubi cū
 solenne & votivum suum fertum
 Virgini non posset offerre
 quotidie, de sæculo repetendo
 cogitasse. At non sicut Deipara
 misericordiæ Mater clientulū
 suum diutius in errore versari,
 sed cœlesti circumdata lumine
 visibilem sese exhibuit, & mul-
 to magis benignitatis suæ ra-
 dijs caliginem mentis ejus dis-
 pulit, vetuitque ne tantum,
 quod jam capessiverat, bonum
 vocationis Religiosæ à se pro-
 ijceret, alioquin & ipse postea
 à DEO fortè reiiciendus; si-
 mulq; edocuit, quomodo de-
 inceps aliud fertum sibi odora-
 tius, longeq; gratius offerret,
 ex sexaginta tribus salutatio-
 nibus

nibus Angelicis & septem orationibus Dominicis, in memoriam septem gaudiorum, quorum sensu ipia perfusa fuisset, primò in Conceptione Filij; secundò cum eum gestavit in utero & S. Elisabethi visitavit; tertio in Christi Nativitate; quarto in Adoratione Magorum; quinto in Inventione Filij in Templo; sexto in Resurrectione Christi; septimò cum assumpta est in cœlum: ita ut singula gaudia totidem decedibus respondeant, & septimū tribus postremis salutationibus. Paruit his B. V. monitis, salutaribusq; consilijs Religiosus ille, ac deinceps Coronam eā quā erat instructus methodo quotidie pertexere cœpit. Aliquo post tempore perma-

gno miraculo Deipara sese suo
 Clienti de vita periclitanti
 perhibuit non minùs poten-
 tem & benignã auxiliatricem,
 quàm fuerat ante errantis sa-
 piens Magistra. Ipse enim iter
 faciens in silvam devenerat la-
 tronibus obnoxiam, & openi
 Virginis imploraturus Coronã
 devotè recitabat, simul medi-
 tationi supradictorum myste-
 riorum insistens. Speculaban-
 tur è dumo latitantes Latro-
 nes eum orantem, sed non so-
 lum; cernebant enim adstare
 pulcherrimam Virginem, quæ
 ad singulas salutationes Ange-
 licas ex ejus ore rosam colli-
 gebat, filoque aureo cuidam
 annectebat, qui ferti & Coro-
 næ speciem præ se ferebat; ubi
 verò absoluto Rosario recessit

Virg

Virgo, profiliunt è latebris latrones, irruunt in Religiosum, sciscitantur de Virgine, unde venerit, quò abierit; negat ille à se ullam istic visam, negat idem socius ejus & comes itineris. Interim uterq; de profundis cordis sui clamant ad MARIAM; Ô MARIA fer opem. Tulit omnino; ecce iterùm invocata Deipara in cœtu Angelorum sero illo redimita apparet, primùmq; graviter Latrones increpat, ac deinde ad Angelos conversa, blando & vultu & voce, Ecce, inquit, quali me Coronâ Frater ille decoravit; & illicò evanescit, subeunte animos spectantium incredibili motu, Latronum quidem ad resipiscentiam, & seriam conversionem per ingres-

sum in Religionem, Religio-
rum verò ad fervorem & in
cultu B. V. perseverantiam.

Idem etiam quod jam me-
moratus Religiosus, nec minùs
devotè peragebat B. Arnul-
phus Cornibout. *in ejus vitâ.*
Septem, inquam, gaudia, qui-
bus delibuta fuit D. Virgo in
terris agens, quotidie in me-
moriâ reducere solitus erat, &
in eorum pia recordatione sua-
viter quiescebat; cum ejus de-
votionem ad sublimiora gau-
dia transferre volens Virgo
Mater ipsi in Nosocomio exi-
stenti apparuit, eumq; his ver-
bis affata est: Quid, dilecte mi,
meditaris tantùm ea gaudia,
quibus in hoc mundo fui fœli-
citer affecta; recale etiam ea,
quibus nunc fruor in cœlesti-
bus.

bus. Quæ autem sint illa, ipsa-
met declaravit, subjungens :

Primò, inquit, gaudeo, quòd
cùm assumerer in cœlum supra
quàm speraveram vel cogno-
veram, immo supra quàm dici
vel æstimari potest, majorem
mihi gloriam paratam inveni,
ita ut solius gloriæ meæ pleni-
tudo præcellat omnimodam
gloriam Sanctorum omnium,
& Angelorum.

Secundò gaudeo, quoniam
sicut dies à Sole; sic tota Curia
cœlestis à mea beatitudine co-
piosiùs elucescens, lætitiâ per-
funditur.

Tertiò gaudeo, quòd omnes
ipsius Curiaæ cives mihi morem
gerunt, & Regis sui Matrem
venerantur.

Quartò gaudeo, quia sum-

N 4 mæ

mæ Majestatis & mea una est voluntas, & quæcumq; placuerint meæ voluntati, Summa & Individua Trinitas benignissimo & paratissimo favore ijs consentit.

Quintò propterea gaudeo, quòd secundū voluntatis meæ arbitrium mihi seruiantibus, in hoc sæculo & in futuro merces rependatur.

Sextò gaudeo, quòd supra choros Angelorū exaltata, speciali quadam prærogativâ proxima sim SS. Trinitati, Sanctorum omnium jucundam societatem obtinens.

Septimò gaudeo, quòd omnino certa sim, quòd gloria mea nunquam decrescet, nunquam deficiet. Cùm hoc B.V. famulo suo dignanter referasset, vale-
faci-

faciens ei ab oculis ejus evanuit; ille verò Dominæ suæ & adjutricis roboratus admonitionibus, deinceps ad servandum ei devotior est effectus.

Hæc in ejus Vita. Sed & illud memoratu dignum, quod auctor idem subjungit, magni sanè meriti ad fiduciam in Virginem in animis mortaliū excitandam: Nec præterundum est, inquit, quòd frequenter fidei suo famulo B. V. apparuit, & se ei tantà benignitate familiarem exhibuit, ut quoties ille negotium aliquod haberet, toties illud pijsissima Virgo ad Filium suum deferret, donec tandem illi aspectanti, & ut ita dicam, ore cordis hianti, à Filio suo gratiæ cœlestis buccellam, pariter cum effectu, peti-

N 5 tio-

tionem ejus impetrans, reportaret.

CAPVT V.

De officio B. Virginis.

SI negotia patiantur, poteris quotidie, aut saltem Dominicis & Festis, Officium B. V. recitare, & ipsi gratissimum feceris. Recognovit illud S. Carolus Borromæus, in eamque formam restituit, quæ à sanctâ Sede Apostolicâ approbata, & Indulgentijs locupletata est, & ipse quotidie flexis genibus illud solitus recitare. *In ejus Vita.*

Antiquius illud de primis Patribus Carthusianis, qui cùm absente S. Brunone magnis animorû angustijs premerentur, à S. Petro Apostolo plurimum

mum animati sunt, qui & ipsis
 B. V. præsidium spondit, si in
 ejusdem honoré preces hora-
 rias quotidie recitarent. Quâ
 ex visione & consilio magnâ
 perfusi lætitiâ Deiparâ sui Or-
 dinis Patronam delegerunt,
 ejus Officium quotidie recita-
 runt, & confestim ab omni mo-
 lestia ejusdem ope vindicati
 sunt.

Præterea celebre est illud
 quod Cardinalis Baronius nar-
 rat ad Annum 1159. de Mona-
 stero Gamugensi, cujus Reli-
 giosi cum piâ consuetudinem
 recitandi Officij Deiparæ in-
 termisissent, tot tantisq; cala-
 mitatibus & deprædationibus
 affligi cœperunt, ut coacti sint
 auctore Petro Damiano soli-
 tum Officium resumere, uno

N 6 omnes

omnes animo & ore polliciti
 nunquam se illud deinceps ne-
 glecturos. Nec multo post, ope
 Virginis ab ærumnis liberati,
 liquidò cognoverunt, quàm sa-
 lutare fuisset consilium, quod
 illis Petrus Damianus, eximius
 & ipse Deiparæ cultor, sugges-
 sisset.

Vt autem majori cum devo-
 tione Officium istud recites,
 hæc tibi pauca in praxim redi-
 genda sunt.

Primùm temetipsum recol-
 lige ante singulas horas, prout
 supra dictum de Rosario. De-
 inde inter legendũ memor tri-
 plicis attentionis ibidem ex-
 plicatæ, attendes ad pronun-
 tiationem distinctam verborũ,
 & ad eorum sensum, induendo
 eos affectus, quos Psalmi &
 Hymni

Hymni continent. Aliquando etiam mente pertractabis aliquod mysterium, & suum singulis horis, quibus ferè gestum est, commodè assignabis, videlicet ad Matutinum & Laudes, quibus nocturnum tempus ab Ecclesia deputatur, recales Christi Nativitatem, vel ejus Captivitatem & Passionem in domo Annæ & Caiphæ per totam noctem acerbissimam. Ad Primam, ejus ad Pilatum, & Herodem transmissionem, vel ejusdem Resurrectionem, & Virgini Matri apparitionem. Ad Tertiam, Flagellationem & Coronationem, (spectante fortè B. V.) vel Missionem Spiritus sancti in eandem Virginem & Apostolos. Ad Sextam, Bajulationem Crucis & Crucifixionem,

nem. Ad Nonam, verba in Cru-
ce prolata & Mortem. Ad Ve-
speras, Depositionem de Cru-
ce. Ad Completorium, Sepul-
turam, & Virginis planctum.

CAPVT VI.

*De Psalterio B. Virginis,
Litanys, & Officio Imma-
culatæ Conceptio-
nis.*

PSalterium B.V. à D. Bona-
ventura, viro pijsimo & sin-
gulari Deiparæ cultore com-
positum, plenissimum est ille-
cebris devotionis erga ipsam:
nec ejus legendi alia ratio
quàm Officij supra memorata.
Narrat à Cantiprato puellam
septennem Psalterij libellum à
Deipara enixè petentem, illū
con-

consecutam, & simul legendi
peritiam. *lib. 1. Apum cap. 23.*
p. 8. § 3.

Litanias B. V. cum hoc ge-
mino sensu & affectu recitare
poteris, i. ut per congeriem
tot Epithetorum & Elogiorum
quasi coneris declarare tantam
Virginis excellentiam, quan-
tam non uno duobúsve titulis,
sed nec infinitis satis explicare
possis. Secundò, repetes ista
Elogia quasi diversa, eaq; effi-
cacissima motiva, quibus B. V.
inducatur ad te exaudiendum.

Porrò sicut magnam hæ Li-
taniæ erga Virginem pietatem
excitant; ita non sine insigni
emolumento & subsidio in ijs,
& quæ ad animum, & quæ ad
corpus spectant, à Christianis
usurpantur. Ideoq; admodum
salu-

salutaris & prolixè commenda-
dandus est mos in familias plu-
rimas, etiam sæcularium, in-
troducendus, ut convocatis sub
noctem domesticis, publicè re-
citentur quotidie.

Enituit etiam nuper egregia
quorundã pietas in Virginem,
qui in id pactum & Societatem
sanctè conspirarunt, & ad fœli-
cem mortè per Deiparæ inter-
cessionem obtinendam singu-
lis diebus ejus Litanias adjun-
ctâ Collectâ S. Josephi Sponsi
ejus, pro se quisque, & pro suis
in hac negotiatione spiritali
socijs recitet.

Officium Immaculatæ Con-
ceptionis breve est, & ad affe-
ctus suavissimos in animis le-
gentium concitandos perido-
neum. Et verò quàm id gratum
sit

fit B. Virgini, sat ipsa Alphonso Rodriguez Soc. JESV Coadju-
tori, claro miraculis in vita &
post mortem patratis, indica-
vit, cui Officiũ hoc, sicut con-
sueverat, recitanti apparuit,
prout sæpius alias, ipsique, ut
typis evulgandum illud cura-
ret, in mandatis dedit. *In ejus
vita.*

CAPVT VII.

*Quomodo dies Sabbathi co-
lendus sit in honorem*

B. V.

Quia hic dies peculiariter
Deiparæ sacer est, pecu-
liari utiq; cultu eum observa-
bis, & te sedulò in sequentibus
exercebis, concepto singulis
diebus Sabbathinis manè fir-
mo de illis proposito.

I. Sub.

1. Subibis aliquam mortificationem, jejunium, aut saltem peculiarem aliquam abstinenciam observando, aut unam ex Antiphonis Deiparæ extensis brachijs, vel nudis genibus recitando, &c.

S. Nicolaus Tolentinus semel tantum Sabbatho cibum sumebat ad imitationem illius prioris magni Nicolai. *Surius in ejus Vita, tom. 5.* Refert S. Antoninus B. V. apparuisse S. Thomæ Cantuariensi, eumq; adjuvisse in refarciendo cilicio, quod in ejus honorem, non tantum diebus Sabbathi, sed & aliàs frequenter gestabat.

1. p. 1. 15. c. 2. parag. 2.

2. Exercebis ob amoré Virginis aliquod opus misericordiæ; sive corporalis, dando elemosy-

mosynam, aut infirmos visitando, &c. sive spiritalis, præsertim colloquijs spiritalibus proximum ad virtutem, & ad ferventiorum Deiparæ cultum promovendo.

3. Adimplebis aliquod exercitium devotionis, visitando Virginis Sacellum aut Oratorium, quæ pia multorum Christianorum consuetudo sæpius miraculis cælitus comprobata est. *Nasarr. abbas in Manual. de orat. c. 19. n. 189.* Ferunt in Ronca valle Angelos singulis Sabbathis ad fontem canere solitos Salve Regina, qui inde dictus est fons Angelorum. Illud singulare nec minus jam gratum auditu, quam olim visu admirandum. Visebatur Constantinopoli imago Virginis, quam

quam tegebat velum totâ hebdomadâ, nisi quòd feriâ sextâ post vesp̄as nullo mortalium movente attollebatur, & reducebatur ab imagine, eamque omnibus conspicuam exhibebat, usq; dum celebratis in Sabbatho vesp̄is iterû ante eandem imaginem devolueretur, eamq; ut priùs velaret. *Spinell. c. 29. n. 17. ex Guliel. Durando.*

Quis non intelligat isto miraculo à cœlo homines invitatos fuisse ad imaginem Deiparæ potissimùm diebus Sabbathi peculiari cultu honorandam?

4. Recollectionem institues sedulò coram imagine B. Virginis, in qua, quid totâ hebdomade gesseris, accuratè expendes, profecerisne an defeceris, & nova desideria, novaq; concipies

cipies proposita in sequentem septimanam, eaq; Virgini Matri cum omni submissione & fiducia committes & commendabis.

5. Eodem die vesperi in examine reflectes te an supradicta praestiteris.

CAPVT VIII.

De Festis B. V.

QUam semper fuerit amatorum Deiparae fervens & effusa devotio ad ejus Festa solenniter & debitam pietate celebranda, patet ex historijs penè innumeris. Instar omnium nobis sit quod de B. Margarita Virgine, Filiam Regis Hungariae perhibetur. Haec enim (ut prodit Author vitae ipsius) in vigilijs

lijs Nativitatis Christi Domini, & quatuor solennitatum B. Virginis, dum in loco capitulari denuntiabatur diei sequentis solennitas, devotione præferebat admirabilem, prosternebat sese, & cum lachrymis orans gratias agebat DEO. In iisdem vigilijs illi panis cibus, & aqua potus erat, nihil præterea. In omnibus quoque festivitibus ejusdem Virginis, & intra octavas offerebat illi mille salutationes Angelicas, & ad singulas quasque humi se prosternebat.

Hujus & sexcentorum aliorum pietatis exemplum, ut majori cum devotione sequaris, consequarisque uberiore fructu, sequentibus adijcies animum, ijsque non segnem operam dabis.

In primis pridie Festorum B.V. idem præstabis quod superiore capite diebus Sabbathi tradidimus observandum. Ipso festo, primùm Rosarium totum, hoc est tres coronas juxta modos supra scriptos, prout sese dabit commoditas recitabis, adjungesq; vel Officium B. Virginis, vel Psalterium, vel saltem Litanias.

2. Visitabis Sacellū aliquod ejus, aut Oratorium, eaq; rediges in praxim, quæ supra areol. 1. c. 5. exposuimus.

3. Communicabis in honorem Virginis, & ad id ritè obeundum, diriget te, & quasi manu ducet exercitium quod traditur areolâ sequente, c. 9.

4. Leges aliquid de Festo, aut si istiusmodi liber non suppetat,

petat, aliquid de vita & laudibus B. Virginis, vel saltē quidpiam aliud spiritale in honorem ejus, & datā commoditate familiare de eadē institues colloquium. Et hæc quidem Festis omnibus cōmunia sunt; addes propria singulisque sequuntur.

In festo Immac. Conceptionis B. Virg. recitabis officium de Immaculata Conceptione, & per octo dies sequentes continuabis: (addices enim singulis festis suam octavam privatim à te colendam) etiam si publicè ab Ecclesia non seruetur.

In festo Nativitatis B. V. honorabis nomen Virginis quotidie recitando per octavam quinq; psalmos in ejus honorem, de quibus supra mentionem fecimus Ar. I. c. 3.

In

In festo Annuntiationis usurpabis per octavam exercitiū reverentiæ, quod tradidimus Ar. 1. c. 7. cultum hyperdulix B. V. per genuflexiones exhibendo.

In festo Visitationis observabis per octavam exercitium reverentiæ, quod habetur supra ar. 1. c. 5. stationē aliquam obeundo; & Sacellum aut Oratorium Virgini sacrum, eo, qui istic præscribitur ritu, quotidie devotionis ergò visitando.

In festo Purificationis usurpabis per octavam exercitium, quod explicatum habes Ar. 2. cap. 5.

Deniq; in festo Assumptionis & per totam octavam,

1. Quotidianas meditationes de B. V. institues, in quem

O finem

finem usui tibi esse possunt eæ,
quæ supra habentur Ar. 2. cap.
2. & 3. & exercitia cap. 3. & 4.
ejusdem Areolæ.

2 Singulis diebus repetes
exercitium reverentiæ, quod
traditur are. 1. c. 8.



HORTULI MARIANI

Areola quinta

SOLSEQVIO-
RUM.

Complectens praxim Imitatio-
nis B. Virginis, per quam
ejus cultores, velut animata
Solsequia, ad ejus perfectio-
nis jubar perpetuo virtutum
ipsius intuitu, & assimilatio-
ne convertuntur.

CA-

CAPVT I.

Praxis generalis Imitationis B. V.

Pervenimus ad postremam
 Areolam Hortuli Mariani,
 consitam multiplici Solsequio,
 cujus floris ea natura est, ut So-
 lis æmulus perpetuò ei obver-
 tatur, ejusq; motus, & ab Ori-
 ente in Occidentem progres-
 siones, sui ipsius in eandem par-
 tem conversione, & expansio-
 ne, consequatur. Talis est imi-
 tatio Virginis, per quam cultor
 Parthenius nobilioris solis,
 Marianæ, inquã, perfectionis,
 & virtutum sequax est, & æmu-
 lus: Hunc florem frequenter,
 constanterq; carpes, si Bernar-
 dum audias, qui cum alias, quas
 hætenus . prosecuti sumus

praxes, paucis his verbis per-
 strinxisset: MARIAM cogita,
 MARIAM invoca, non recedat
 ab ore, non recedat à corde,
Homs. 2. sup. missus; subjunxit
 de hac imitatione: Et ut im-
 petres ejus orationis suffragiū,
 non deseras conversationis
 exemplū. Sanè sine hac imita-
 tione parū cætera tua obse-
 quia Virgini placebunt; nulli
 reverentiæ, nulli fiducia, amo-
 risq; actus solidi, perfecti, gra-
 ti, nulla alia devotionis exer-
 citia sine hac imitatione pro-
 futura sunt. An non hæc ipsa-
 met Virgo disertè exposuit
 cuidam juveni, sibi quidē de-
 voto, sed in majoribus longè
 dissimili, sed dissoluto, sed im-
 puro; cui in vasta solitudine
 erranti, & famelico apparuit,
 obso-

obsoniumq; sedandæ fami oportu-
 num obtulit, sed lance
 tam sordidâ putidâque, ut nau-
 seabundus juvenis, quantum vis
 esuriret, bolum ullum ex ea su-
 mere renueret. Appositè tunc
 Virgo: Et talia sunt quæ tu mi-
 hi quotidie offers fercula; Ro-
 sarium, Officium, aliaq; pie-
 tatis exercitia, quæ tu singulis
 diebus exsolvis, bona sunt qui-
 dem & sapida, sed tu ex tam
 immunda, graveolenti, scele-
 rataq; conscientia, ea mihi
 præbes, ut primo aspectu nau-
 seam, & horrorè pariant. Hoc
 viso, argutoque monito instru-
 ctus, promotusque juvenis, re-
 sipuit. *Albertus Castell. de Ro-
 sario.* Declaravit verò sæpiùs
 aliàs Virgo Mater quantū cul-
 torum suorum puritate, humi-

O 3 litate,

litate, modestiâ, aliarumq; virtutum exercitijs oblectetur, quantum ipsis favoris, & opis ad huiusmodi virtutum suarum imitationem perfectam conferat. Offerebat quodam die S. Gertrudis è S. Benedicti præclarâ in utroque sexu familiâ Sanctimonialis, non tantum suas, sed & aliorum multorum (qui ut id faceret, rogârant) preces DEI Matri; Et ecce oranti ipsa se sistit Virgo, pallio circumamicta viridi, quod aureis undequaq; floribus perlucebat, trifoliorum specie figurâq; & admirabili, & decorâ, simulq; quid tam florido pallio designaret, his verbis edocuit: Quot voces quilibet eorum, à quibus ista mihi defers, precando diffudit, tot me floribus

ribus exornavit: quorum, ut vides non unus, atq; idē splendor apparet; ut enim quisque purissimè oravit, ita pulcherrimè suum mihi florem consignavit. Ego interim cujusque precantis, meque venerantis animum floribus depingo virtutum, & pulchritudinem, quā me illi vestierunt, sanctitate remetior. *l. 4. In sin. divin. c. 49.*

Vt ergo in imitationem virtutum B. V. ab ipsā tam expetitā, ordinatè, & utiliter incūbas, sequentia tibi seriò peragenda sunt, quæ quatuor generalia imitationis Deiparæ instrumenta vocamus.

I. In quo sit imitanda B. V. cognoscere debes; & perfectionis illius aliqua idea pulcherrima, & valde amabilis, ad quā

crebrò reflectas, in animo tuo
efformanda est.

2. Concipiendum est desi-
derium tam amabilis perfe-
ctionis imitandæ, seriumq; il-
lius toto conatu persequendæ
propositum.

3. Hac cognitione, & hoc
desiderio, propositoq; instru-
ctus, velut duabus manibus,
ferventer praxim ipsam arri-
pies, & examine particulari,
quasi primario instrumento,
utêris, per quod, jam huic, jam
illi studebis virtuti.

4. Quia omnis nostra indu-
stria manca est, & inefficax,
nisi auxilio divino corrobore-
tur, frequenti prece, & suppli-
catione Deiparam sollicitabis,
ut sui imitationem tibi impe-
tret.

De

De his generalibus instrumentis suo ordine jam agemus ; ac deinde particularia aliquot exercitia imitationis breviter trademus.

CAPVT II.

Primum instrumentum
imitationis B. V.

*Amabilem ideam virtutum
ejus in animo suo
efformare.*

N Onnullam cognitionem virtutum, & perfectionis B. V. assequi poteris duplici viâ.

I. Propriâ commentatione & meditatione de Mysterijs vitæ Christi Domini, & Matris ejus, in quibus exactè perscrutabere.

taberis, qualis ipsa fuerit in prima ætate, qualis in profectione. Considerabis quomodo vixerit, antequam esset desponsata S. Joseph, quomodo in virgineo suo conjugio, quomodo in viduitate. Inspicies & attendes quomodo se gesserit convivens Filio, quomodo eo jam absente, quomodo loquuta sit, quomodo operata, quænam hujus vel illius virtutis exempla reliquerit.

2. Eandem notitiam hauries ex alijs, potissimum ex lectione sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & aliorum recentiorum, qui de ea scripserunt. Reliquis omissis unam tantum D. Ambrosij sententiam proponam, quæ genuinam perfectionis Deiparæ ideam, & exemplar

plar tibi representat. Sit vobis, inquit, *lib. 2. de Virgin.* tanquam in imagine descripta virginitas, vitaq; B. MARIAE, de qua, velut speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis, hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi, tanquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intēta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non homi-

hominem, sed DEVM quærere:
 nullū lædere, benè velle omni-
 bus, aflurgere maioribus, natu-
 æqualibus non invidere, fuge-
 re jactantiam rationem sequi,
 amare virtutem: nihil toruum
 in oculis, nihil actu in verecun-
 dum, non gestus fractior, non
 incessus solutior, non vox pe-
 tulantior; ut ipsa corporis spe-
 cies, simulacrum fuerit men-
 tis, figura probitatis. Hæc ille.
 Hujusmodi plurima in alijs SS.
 Patribus reperies. In libro il-
 lo præsertim, quem S. Ansel-
 mus è Monacho Benedictino
 Cantuariensiu Episcopus Virgi-
 nis imprimis studiosus de Lau-
 dibus S. MARIE conscripsit.
 Hanc verò perfectionem B. V.
 exhibebis animo tuo valdè
 speciosam, & amabilem, ad in-
 star

star alicujus externæ, & corporeæ perfectionis, quæ sensu percipi possit imaginando singulas ejus virtutes, nunc humilitatem, nunc obedientiam, nunc patientiã, nunc aliquam aliam, splendentes in B. Virgine, velut totidem stellas; auditu interno excipiendo, quàm amor ipsius esset dulcis vox in auribus DEI; odorando earundem virtutum fragrantiam, gustando dulcedinem animæ ipsius internâ pace, & cœlestibus delitijs delibutæ.

Et sanè pulchritudinem internam gratiarum, & virtutum sibi à Christo Sponso concessarum, non alio convenientiori modo sibi repræsentabat, & pretiosas, carasque reddebat, immò alijs eas exponebat S.

P Agnes,

Agnes, cum diceret: Sanguis
 JESV Sponsi mei speciosissimi
 ornavit genas meas, ipse tan-
 quam Sponsam decoravit me
 coronâ, annulo Fidei suæ sub-
 arrhavit me, dexterâ meam, &
 collum meum cinxit lapidibus
 pretiosis, tradidit auribus meis
 inæstimabiles margaritas, in-
 duit me cyclade auro textâ, &
 circumdedit me vernantibus,
 atq; coruscantibus gemis, ejus
 organa mihi modulatis voci-
 bus cantant, mel, & lac ex ejus
 ore suscepi, & ostendit mihi
 thesauros incomparabiles. Ita
 S. Agnes; Si tam speciosa casti-
 tas, si tam pulchra Fides, Spes,
 Caritas, Humilitas, fortitudo
 in illa; quales, & quàm ama-
 biles apparere tibi debent hæ
 virtutes in B. Virgine?

Fere

Ferè simili in specie, formaq;
 sese visendam, vel potiùs virtu-
 tum suarum decorem contem-
 plandum S. Brigittæ exhibuit,
 cum illi, comite S. Joanne
 Baptistâ, apparuit, coronâ pre-
 tiosa redimita, quæ ex septem
 Lilijs, & totidem unionibus
 erat contexta, capillis proten-
 sis, tunicâ splendenti, ac pallio
 cærulei coloris amictâ; quæ
 quidem decora S. Joannes ita
 explanavit; coronâ scilicet de-
 signari augustissimum ejus im-
 perium, & in omnes creaturas
 dominium; septem candidissi-
 mis, & purissimis Lilijs, ejus
 humilitatem, timorem, obedi-
 entiam, patientiam, constan-
 tiam, mansuetudinem, miseri-
 cordiam; septem splendidissi-
 mis gemmis, virtutum ejus sin-
 gula-

gularitatem, munditiam perfectissimam, pulchritudinem decentissimam, sapientiam lucidissimam, fortitudinem robustissimam, claritatem splendidissimam, voluptatem purissimam; capillis expansis, significari mentis ejus puritatem; pallio cærulei coloris, terrenarum rerum perfectam abnegationem; denique tunicam auream charitatis ardorem. *Infra I. Revel. c. 31.*

Itaque quoties vel imaginem Deiparæ attentius inspicis, quoties de aliquâ ejus virtute meditaris, toties eam in simili decore tibi repræsentata, & amabilem redde, frequenter in mente, & ore versa modos loquendi, quibus in Scriptura sacra virtutum ejus pulchritudo

tudo eodem ferè modo describitur. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum, pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in utro oculorum tuorum, *Cant.* 4. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ Spei. *Eccl.* 24. Sexcentas similes loquendi formulas reperies in sacris voluminibus.

C A P V T III.

Secundum instrumentum imitationis

B. V.

Concipere fervens desiderium & propositum eam imitandi.

P 3

Hoc

Hoc desiderium, & propo-
 situm facile enascitur ex
 præcedentibus; si enim virtu-
 tes, quæ in Deiparâ reperim-
 tur, eam tam pulchram, tam
 amabilem efficiunt, ut vel ipso
 primo aspectu, & oculos, &
 mentem, & cor, & affectum, &
 te totum ad se rapiant, qualem
 te eadem virtutes, si illis (licet
 inferiore gradu) præditus es,
 quam gratiosum, quam ama-
 bilem, ipsi vicissim Virgini, &
 omnis Sanctitatis, ac perfectio-
 nis fonti DEO exhibebunt? Er-
 go si tibi ex ordinata charitate
 benè velis, si bonum tuum ames,
 ama tibi hoc bonum, ardentè
 illud concupisce, & in ejus pro-
 secutione nervos omnes in-
 tende, Perfectionis Marianæ
 non admirator tantum, sed &
 ama-

amator; nec amator solùm, sed
 & sedulus, constansq; imitator
 esto; Hoc præ omnibus obse-
 quijs deposcit B. V. his Sapien-
 tiæ verbis: Nunc ergo Filij au-
 dite me; Beati qui custodiunt
 vias meas: Audite disciplinam,
 & estote sapientes, & nolite
 abijcere eam. Beatus homo
 qui audit me, & qui vigilat ad
 fores meas quotidie, & obser-
 vat ad postes ostij mei. *Prov. 8.*
 Nimirum si Filius ejus dici, &
 esse, si eam sincero affectu, &
 cultu prosequi velis; eam au-
 dire, ejus consilijs, monitisque
 auscultare, custodire vias ejus,
 virtutumq; vestigia assiduè se-
 ctari debes; in quâ imitatione
 mirum quantum sibi Deipara
 complacet, eamq; amplissima
 per se, & per Filium cumulat,

P 4 beatq;



beatq; mercede quodlibet virtutis opus, singulos humilitatis, confidentiæ, prudentiæ Christianæ, patientiæ, cæterarumque virtutum actus, etiam levissimos, blandè intuetur, conservat sollicitè, remuneratur copiosè. Experta est idipsum S. Gertrudis, quæ lecto affixa ob infirmitatem, mœrensq; graviter, quod Angelicas salutationes pro annorum numero, quibus Deipara in terris degit, morbo impedita, recitare de more non posset, statuit tres tantum priores partes ejusdem Salutationis: Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum, non tam pronuntiare, quam expendere cum affectu erga mysteria, & virtutes Virginis, quæ ei statim apparuit,

ami-

amicta pallio viridi, in quo,
 præter alios flores, resplende-
 bant rosæ constantes sex folijs,
 quorum tria quasi aurea diver-
 sis gemmis exornata, alia tria
 indicibili colorum varietate
 pulcherrimè distincta erant;
 Intellexit verò tribus aureis
 folijs tria priora Angelicæ Sa-
 lutationis capita, quæ perpen-
 derat, significari, alia autem
 tria, à cœlesti Sponso inex-
 plicabili colorum diversitate
 adeò exornata fuisse, ad remu-
 nerandum affectum, quo dul-
 cissimam Matrem suam salutaf-
 set; Secundò, prudentiam, quâ,
 cum se minus valere sentiret,
 tres illas Angelicæ Salutatio-
 nis partes elegisset, in quibus,
 quasi cardinibus, tota precan-
 di ratio vertitur, Tertiò, spem,

& confidentiam, qua Filio, & Matri gratū fore speravit exiguum illud, quod infirma obtulisset. *l. 4. In fin. divin. c. 49.* Adeo certum, indubitatumque est, quod cultoribus Parthenijs spondet singularis Virginis amator. S. Joan. Damasc. Si vitia, inquit, *ora. 2. de dormi. B. V.* prompto, atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni studio, atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa Virgo ad famulos suos veniet, ac secum bonorum omnium agmen trahet, Christum Filium suum, omniumq; Regem, ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet. Quæ porro præcipua sint illa vitia, quæ detestari debeamus, quæ sint virtutes

virtu-

virtutes, quarum studio maxime teneri exemplo Virginis nos oporteat, exposuit fuse paulò superius; Curemus, inquit, ut mentem, memoriamq; nostrã Genetricis DEI promptuarium efficiamus. Quo autem modo id assequemur? Et Virgo ipsa est, & Virginum amans, pura, & purorum amans; quocirca si & corporis, & animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur; siquidem lutum omne fugit, ac cœnoscas affectiones averfatur, ingluviẽ execratur, impuras ac sceleratas cogitationes, non secus ac viperarum foetus fugit, sermones fœdos, ac scurriles propellit, iræ tumorem odio habet, inhumanitatem, ac invidiam, ac similtates non admittit, su-

perbiæ, fastui animo hostili resistit. Et paulò post: Horum autem contrarijs delectatur, cum puritate, virginitate, ac pudicitia pulchrè illi convenit, pacem, animiq; lenitatem complectitur, charitatem, misericordiam, atque humilitatem, tanquam alumnas suas, ulnis fovet; atque (ut rem breviter perstringam) quolibet vitio offenditur, ac discruciat, quolibet autem virtute, ut particulari suâ notâ lætatur, & exultat. Hæc S. Damascenus.

Itaq; quoties tempore meditationis, aut alias, amabilem ideam, & exemplar virtutum B. V. animo tuo obijcies, illicò aspira totis præcordijs, curre effuso corde, expansis ulnis ad eas per imitationem ample-
xan-

xandas, suspira desiderio, amoreq; languens. Quando, ô Mater admirabilis, ô Mater amabilis, quando tandem ero tibi similis in tam amabili perfectione? quando alacriter insistantem vestigijs tuis, sicut innumeri alij cultores tui vadunt, currunt, volant in viâ perfectionis te duce, te auspice? pudeat me hactenus degenerem toruisse Filium; Dixi, firmum propositum edidi, custodiam vias tuas, & ferventius solito, te auxiliante, virtutes tuas imitabor.

C A P V T I V.

Tertium instrumentum
imitationis B. V.

P 7

Insti-

*Instituere serium, & diligens
examen parti-
culare.*

Postequam duo priora instrumenta assumpseris, superest ut ad ipsam praxim te applices, in quâ præcipua laborari solet difficultas; nec enim tam facile acquiritur perfectio, quam desideratur: multis quidem de causis, sed potissimum, & frequentissimè, vel quia confusè, sine methodo, sine ordine inchoatur exercitium virtutum; vel quia nimis multa simul suscipiuntur, quæ cum solidè, fortiterque stringere ob eorum multitudinem, non potueris, facile paulò post dissolvantur, excidant, pereantq; necesse est. His in-

cont-

commodis occurre per seriū,
 & diligens examen particula-
 re, quod est instrumentum ter-
 tium imitationis Deiparæ, cu-
 jus efficacia in duobus præci-
 pue consistit, in benè ordinan-
 dâ materiâ, circa quam verla-
 tur, & in constanti observatio-
 ne temporum quibus exerceri
 debet.

Materia hujus examinis po-
 test esse duplex.

Prima sint actiones nostræ
 præcipuæ, quas similibus B.V.
 actionibus conformare studea-
 mus, adhibendo circa singulas
 ordine, examen particulare,
 exempli gratiâ;

Primum conando medita-
 tionem nostram meditationi
 B.V. aliquatenus similem red-
 dere, aliquatenus inquam; nam

tan-

tantam perfectionē, quantam B. Virgo, nec Seraphini ipsi assequuntur. Deinde per aliud tempus studendo eam imitari, in audiendo sacro, postea in opere manuali, seu in exercitio corporali, & sic de alijs actionibus.

Altera materia possunt esse virtutes B. Virginis, quas suo ordine nitaris in te exprimere, videlicet; adhibendo primò examen particulare circa humilitatem, inchoando ab aliquibus ejus actibus, & gradatim, sensimq; ad alios progrediendo. Ubi verò te aliquo modo in humilitate perfece-
ris, transibis, eadem servata methodo, ad alias virtutes, ad charitatem fraternam, deinde ad obedientiam, & ad reliquas;
sic

sic tamen, ut primò, & maximè
insistas illi, quam tibi magis
necessariam esse compereris.

Temporis hujus examinis
sunt tria.

Primum matutinum, in quo
tria tibi observanda: Primò
concupiendum propositum imi-
tandi Virginem in tali actione
vel virtute; Secundò, assumen-
dum aliquod memoriale, quod
certis temporibus usurpes ad
hoc propositum renovandum,
aliqua scilicet sententia, vel
oratio jaculatoria, vel inspe-
ctio imaginis quoties audis
pulsam campanæ, vel quoties
cubiculo egrederis, aut aliquid
simile; Tertio imploranda sup-
plicitèr cœlestis gratia hujus-
modi propositum exequendi.

Secundum tempus est meri-
dia-

dianum, in quo examinabis; Primò an propositum matutinum expleveris; Secundò, an memoriale suis temporibus usurpaveris, defectusque, & progressionem tuas adnotabis, ut diem cum die, hebdomadam cum hebdomadâ, mensem cum mense conferre possis; Deniq; novum concipies propositum in tempus sequens, DEI, Dei- paræq; fretus ope, quam rursum invocabis.

Tertium tempus est vespertinum, in quo examen institues, sicut in tempore præcedenti.

Quia verò frequens interdium recordatio, & renovatio propositi, magni est momenti ad ejus integram & constantem executionem; ideò ad ejus memo-

memoriam excitandam, & fo-
 vendam, varij varijs signis usi
 sunt. S. Hedvigis Ducissa Po-
 loniæ, imaginem quandã Dei-
 paræ gestare consueverat, ut
 memoria cultus illi exhibendi,
 fervorq; imitationis, ejus aspe-
 ctu excitaretur; Et hæc pietas
 miraculo confirmata est: Nam
 cum hanc imaginẽ tribus digi-
 tis sinistrae manus moriens ita
 strinxisset, ut nulli eam avel-
 lenti cederet, ac proindè simul
 cum illa tumulari debuerit; Vis-
 ginti quinq; annis ab obitu, cū
 ossa sacri corporis ejus transfe-
 renda essent, reliquã parte coro-
 poris absumptã, membrorumq;
 compage solutã, tres illi digiti
 inventi sunt prorsus integri, ac
 intra illos imago Deiparæ o-
 mnis expers corruptionis; ca-
 put

put quoq; non modo illæsum,
 sed etiam fragrantissimo liquo-
 re, quod ex eo instar olei uber-
 tim emanabat, plenissimum re-
 pertum est. *Sur. in ejus Vita.*
 15. *Octob.* Aliud signum, & mne-
 mosynon S. Edmundus in usu
 habuit; ut enim continuam vir-
 tutum B. Virginis, ac præcipuè
 castitatis, quam præ cæteris
 habebat in delitijs & in voto,
 memoriam foveret animo, po-
 steaquam divino afflatus Spi-
 ritu, Deiparam sibi despondis-
 set, & in hujus desponsationis
 arrham digito imaginis cujus-
 dam Partheniæ annulum inse-
 ruisset, ipse deinceps sibi etiam
 alterum annulum adaptavit,
 quem quoties inspiceret, to-
 ties amabilem Virginis præ-
 sentiam, & virtutum omnium
 in

In ea expressum exemplar oculis ipsis haurire sibi videbatur, & huic annulo salutatio Angelica insculpta fuit, sed divinitus: prout multorum relatu, & indubiâ fide constat. *In ejus Vita, 16. Novemb.* Alij alijs usi sunt signis.

C A P V T V.

Quartum instrumentum imitationis

B. V.

Frequens auxilij ipsius invocatio.

TOta industria præcedentibus capitibus explanata parum conferet, proferetque fructum exiguum, immò nullum, nisi fœcundanti rore divinæ gratiæ irrigetur; Ideoq; fre-

frequentib. precibus cum magnâ virium tuarum diffidentiâ, & firmâ in DEVM, ejusq; clementissimâ Matrem confidentia, eam deposces, atq; in eum finem usui, & instar orationum (quas Jaculatorias vocant) familiares tibi esse poterunt plerique versiculi, quibus Ecclesia utitur, nunc hanc, nunc illam virtutem à Deipara efflagitando, castitatem videlicet & mansuetudinem in Hymno Ave maris stella, his verbis: Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac, & castos; sinceram, & ardentem charitatē, in Hymno; Stabat Mater dolorosa; Eia Mater fons amoris, Me sentire vim doloris Fac, ut tecum lugeam; Fac ut ardeat cor meum

in amando Christum DEVM, Ut
sibi complaceam.

B. Joannam Fundatricem
Annunciatarum ipsamet Dei-
para tribus salutaribus moni-
tis, & documentis instruxit, &
ad magnam perfectionem pro-
movit. Primum est, ut decem
Ave MARIA recitaret in me-
moriam decem virtutum, qui-
bus Virgo excelluit desideran-
do, & petendo gratiam eas
imitandi; sunt autem hæ virtu-
tes: Castitas, Prudentia, Humi-
litas, Fides, Gratitude, Obedi-
entia, Paupertas, Patientia,
Pietas & Constantia in dolo-
ribus. Secundum documentum
est, ut quinq; sacratissima vul-
nera J E S U Christi salutaret
quinque Pater, & Ave, ad imi-
tationem illius devotionis quâ
ipsa-

ipsamet Virgo eadem vulnera
contemplata est, & salutavit,
cum Christus è Cruce pende-
ret. Tertium ut quotidie in
honorem fructuum Sacrosan-
ctæ Eucharistiæ legeret duo-
decies Salutationem Angeli-
cam; Et hanc triplicem devo-
tionem SS. Pontifices Roma-
ni multis indulgentijs prose-
cuti sunt. *In Chron. Annunt.*

Vt verò & fiduciam tuam in
D. Virginem, & fervorem in
postulando dono imitationis
virtutū ejus exsuscites, & ma-
gis, magisq; accendas, expedit
ut sequentem mendicationis
praxim frequenter exerceas.

CAPVT VI.

Praxis mendicationis à

B. V.

Invo-

INvocata cœlitus gratiâ, quâ
 possis & tuam indigentiam,
 & liberalem Deiparæ miseri-
 cordiam agnoscere, & expe-
 riri.

In primis constitues te ipsum
 mente, & imaginatione, in tri-
 plici statu; Primò infirmi, &
 vulnerati; talem enim te spiri-
 talitèr reddunt peccata tua,
 passiones indomitæ, & affectio-
 nes inordinatæ, à quibus tot
 vulneribus confixus es, ut à
 vertice capitis non sit in te sa-
 nitas; Secundò pauperis, & la-
 borantis extrema penuria vir-
 tutum, meritorum, & charis-
 matum cœlestium; Tertiò fa-
 melici, qui esurit, & fitit justi-
 tiam, perfectionem, unionem
 cum DEO in hac vita indisso-
 lubilem, & in altera gloriosam;

Qui

qui admodum desiderat & sanari ab infirmitate sua, & nuditati, inopiæque suæ prospicere, ac proinde quaquâ versum circumspicit, si quem fortè opulentum, & misericordem Dominum nanciscatur, qui sibi tam misero; tam infirmo, tam inopi, tam famelico stipem præbeat.

Secundò. Imaginaberis te auditu interno excipere verba hæc B. V. mortales omnes ad se advocantis, & opem subsidiumq; illis offerentis: Beatus qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino *Proverb. 8.* Perpende motiva quibus anime- ris ut cum humilitate, & confi-
den-

dentia ad eam recurras. Contemplare inprimis eam refer-
tissimam illis bonis, quibus tu
indiges; nam ita pura est, ut
semper fuerit immunis ab omni
infirmirate peccati, etiam ve-
nialis, & originalis; ita sancta
ut omnibus virtutibus excel-
luerit; Multæ Filiaæ congrega-
verunt sibi divitias, illa autem
supergressa est universas; *Ibid.*
31. ita unita DEO, ut nec in
terra, nec in Cœlo ulla pura
creatura perfectiùs DEVM pos-
sideat, eoque perfectiùs frua-
tur. Deindè adverte quomodò
tibi & possit, & velit benefa-
cere; Regina vocatur miseri-
cordiæ, inquit Bernard. quod
divinæ pietatis abyssum cui
vult, & quando vult, & quo-
modo vult, creditur aperire, ut

Q 2 qui-

quivis enormis peccator non
pereat, qui Sancta Sanctorum
patrociniij sui suffragia præstat.

Serm. I. in Salve Regina.

Tertiò his excitatus, statue
ad illam mendici instar acce-
dere, & ut hæc mendicatio tua
fœliciosem exitum sortiatur,
interpone intercessionem An-
geli tui Custodis, & aliorum
Angelorum, deindè Patriar-
charum, & Prophetarum, po-
steà Apostolorum, ac reliquo-
rum Sanctorum, quos omnes
obnixè rogabis, ut stipem à B.
V. tibi impetrent. Novissimè
tu teipsum coram eadem Vir-
gine sistes, & primum humilli-
mè eam salutabis, & exaltabis:
deinde tuas misérias illi expo-
nes, & levamen petes, eo affe-
ctu, & fervore, quo solent pau-
peres

peres inclamantes misericordiam, demum promittes in posterum ferventio rem ejus cultum: hac, vel simili formulâ.

Saluto te humillimè, laudo, & glorifico, ô Sancta MARIA, Domina mea clementissima, purissima, sanctissima, foelicissima, Regina Angelorum potentissima, Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum gloriosissima, Martyrum fortissima, Confessorum sapientissima, & fidelissima Virginum, Viduarum & omnium Sanctorum mundissima, DEI Mater verissima. Tu nosti miserias meas, infirmitatem, & vulnera, paupertatam, & nuditatem, ecce gemitus meus, & languor desiderij coram te est: respice in me, & miserere mei: sicut ubi-

Q 3 cum-

cumque fuerit corpus congregantur & aquilæ (*Richard. de S. Victore*) ita ubicumq; fuerit miseria, tua & currit, & succurrit misericordia: adeò pietate replentur ubera tua, ut tacta alicujus miseriæ notitiâ, lac fundant misericordiæ, nec potes miseras scire, & non subvenire. Ecce pedibus tuis ad-volutus, ô asylum miserorum, ô mediatrix inter DEVM, & homines, humiliter te rogo, & obtestor maternû pectus tuum per eum amorem, quo JESVM Filium tuum diligis, per eam charitatem, quâ nos in servos, clientes, & indignissimos Filios tuos ascivisti, impetra mihi plenam remissionem peccatorum meorum, verissimam eorum detestationem, & dignos
in

in hac vita pœnitentiæ fru-
ctus; generosam item mortifi-
cationem sensuum, & passio-
num mearum, & plenissimam
tentationum victoriam. Exora
mihi augmentum Fidei. cer-
tam Spem, perfectam Charita-
tem, integram in voluntate
DEI resignationem, puritatem
intentionis, affectum devotio-
nis erga JESVM Crucifixum,
venerabile Sacramentum, &
erga te Dominam, & Matrem
meam.

Impetra mihi obedientiam
erga superiores, affabilitatem,
& mansuetudinẽ erga omnes,
profundam humilitatem, ma-
gnanimitatem, & in adversis
patientiam, ac deniq; perseve-
rantiaẽ donum, sanctam, & fœ-
licem mortem. Eia advocata

Q 4

no-

284 HORTVLVS

nostra, exhibe mihi in hora^A
 mortis meæ jucundissimā præ-
 sentiam tuam, & aduersus ar-
 dores justitię diuinę umbrā tuā
 me contege. Ita eris mihi sem-
 per Domina, & Regina colen-
 dissima, ac Mater amantissima,
 tuumque honorem, & cultum
 quibus potero obsequijs, & of-
 ficijs, tuo confirmatus favore,
 promovere conabor.

CAPVT VII.

*Imitatio B.V. in contempla-
 tione, & meditatione re-
 rum cœlestium.*

QVæ hætenus profecuti su-
 mus generalia imitationis
 Deiparæ instrumenta, ea in
 praxim redigenda, & applican-
 da sunt particularibus ejus tum
 actio-

actionibus, tum virtutibus. Itaque duo jam nobis supersunt breviter exponenda. 1. Exhibenda est idea præcipuarum actionum, in quas B. V. suum tempus distribuebat. 2. Contextendus est catalogus aliquarum primariarum virtutum, in quibus sese exercebat.

Actionum verò ejus prima erat, Meditatio rerum cœlestium, & oratio; Ita enim *In Med. Vit. Christi cap. 3.* D. Bonaventura post S Hieronymum: B. V. mane usq; ad horam diei tertiam rebus divinis insistebat. Sic tibi ut ordine, ita & in pretio, affectu, & cura, prima sit actionum tuarum, meditatio, ad quam ritè peragendam studebis Virginem in his quatuor imitari: 1. In diligenti ad
eam

eam præparatione. 2. In materia contemplationis prudenter seligenda. 3. In excitandis ferventibus affectibus. 4. In accurata recollectione fructus meditationis: in quibus quali nobis B.V. exemplo præluxerit, obiter dispiciendum est.

§. I.

Quomodo B.V. sese disposuerit, & preparaverit ad meditationem.

E Disce ex Dionysio Carthusiano, qui hæc Cantorum verba explicans (Ego dormio, & cor meum vigilat) ita de B.V. loquitur: Hoc sanctissima Virgo præminentèr dicere potuit, quia contemplatissimam vitam duxit, &
(nota

(nota dispositiones contem-
plationis) ab exteriori tumultu,
omni inordinato strepitu,
cura superflua, & inquietudine
culpæ penitus abstinens, & so-
pita, vigilantissima mente Deo
vacavit. *In Cant. 5.* Infra sub-
jungit aliàs: Ardentissimam &
exercitatissimam charitatem,
splendidissimam & exuberan-
tissimam sapientiam, recolle-
ctionem interdium continuam.
Adde his lectionem librorum
spiritualium, cui Deipara bo-
nam diei partem tribuebat.

Inspice, & fac secundum ex-
emplar. Quotidie manè ani-
mam tuam, cujus tibi longè
potior habenda est ratio, quàm
corporis, fove, pasce, corrobo-
ra pane illo Angelico, & Man-
na suavissimo contemplatio-
nis,

nis, & ut eum successum consequaris, quem votis prosequeris, dispone te ad illam, sicut B. Virgo, per puritatem vitæ, solitudinem internam, & frequentes interdium ad DEVM aspirationes, per desiderium benè meditandi, & per lectionem librorum spiritualium. Maximè verò proderit si D. Virginem hujus tam nobilis operis præsidem, & specialem patronam assumas, ipsiq; fias supplex, ut tibi divinum lumen, pios, ferventesq; motus procuret. Id egit S. Elzearius Comes, qui interrogatus à viro Religioso, quem in precibus modum sibi, formamq; præfigeret, & quem è sanctis Patronum sibi delegisset, Respondit; Equidem Virginem sanctam
 mihi

mihī Patronam, & Advocatam
 elegi, cumq̄ue ad orandum me
 accingo, indignitatem, & vili-
 tatem meam prius considero,
 atq; ita Matri gratiæ me com-
 mendans, humiliter deprecor,
 ut ea, quæ ipsi, & benedicto
 ejus Filio grata sunt, ponat in
 corde, & ore meo, simulq̄ue
 quantâ possum animi pietate
 semel ei offero Angelicâ Salu-
 tationem, quâ recitatâ nun-
 quam mihi deest nova rerum
 divinarum materia. *Sur. in ejus
 Vita c. 5.*

§. 2.

*De qua materia B. V. me-
 ditata sit.*

I N lege Domini sicut volun-
 tas ejus, ita & meditatio,
 præsertim in oraculis de ad-
 R ventu

ventu Messiaë. Habebat enim
 (inquit Origenes) *Homil. 6. in
 Lucam.* legis scientiam; & Pro-
 phetias, sive vaticinia quoti-
 dianâ meditatione ruminabat.
 Deinde ponderabat beneficia
 DEI, quibus (ut ait Bernardi-
 nus Senensis) *tom. 2. serm. 5 I.
 art. 1. c. 2.* mens ejus continuè
 in ardore charitatis teneretur.
 Post puerperium Mysteria, quæ
 oculis quotidie hauriebat, con-
 servabat, teste D. Luca, cap. 2.
 & ea in corde suo per medita-
 tionē conferebat. Post Ascen-
 sionem Filij (ut docet D. Hie-
 ronymus, & alij) vitam ipsius,
 doctrinam, crucem, mortem,
 gloriam corde intimo contem-
 plabatur, in eumq; finem loca
 Sancta perlustrabat frequen-
 tissimè. Ascendebat ad Calva-
 riæ

riæ rupem, ubi crucifixus est Dominus, ut locum impleret lachrymis, in quo Sanguis Christi peccata diluens de cruce distillaverat: tum ad speluncam Salvatoris ingressa, sepulchrū ejus venerabatur, simulque resurgentis Filij gloriam adorabat. In monte Oliveti pedum Christi in cœlum ascendentis impressa vestigia deosculabatur. Arridebat illi Bethleem, ubi augustissimum suum partū pannis involuerat. DEVS bone! quæ MARIÆ mens, quæ lachrymæ in his, alijsque locis invisendis, dum in ijs peracta Mysteria studiosissimè contempleretur! Hæc post alios Canisius. *De B. Virg. l. 5. c. 1.*

Eandem tibi materiam, idem argumentum meditationis tuæ

R 2 quo-

quotidianæ assume; Sacrosan-
 cta Myſteria vitæ, & paſſionis
 Salvatoris noſtri, ejuſque ſan-
 ctiſſimæ Matris, diligenter re-
 cole, & utrique hanc tuam de-
 votionem maximè cordi futu-
 ram, certiffimum habe. Narrat
 P. Ludovicus à Ponte in vita
 P. Baltazaris Aluarez, quam-
 piam perſonã DEI Spiritu ple-
 nam, eminentis dono contem-
 plationis ornatam, cui Chriſtus
 Dominus, & B. Mater eximia
 frequenter benevolentia præ-
 berent argumenta, cum ſeſe
 exercitijs ſpiritualibus B. Igna-
 tij excolere cœpiſſet, quodam
 manè clariffimè mentis oculis
 Angelum divinã vultus, & oris
 majeſtate conſpicatã eſſe ma-
 ximã luce circumfuſum: cum
 verò vehementer obſtupefa-

ctay

sta, & animo suspensa, quid id portenderet, apud se cogitans hæreret, ille Archangelum se esse dixit Gabrielem, à Sanctissimâ DEI Matre nuntium adferre, quem prompto, & grato acciperet animo; Illa magis etiam obstupefacta, & quâ erat animi demissione, sese ipsa colligit attentius, Angelum rogat, pateretur antea DEVM abs se consuli; quod cum ille facillimè annuisset, quasi eo minimè præsentem, ad DEVM sese convertit ardentissimâ prece, suam secum indignitatem reputans, extremamq; miseriam, tum divinæ opem implorans misericordiæ, vellet abs se longissimè se movere quidquid divinæ ejus voluntati minùs consentaneum foret. Cum in eâ

R 3 pre-

precatione temporis aliquan-
 tulum posuisset, interiùs sibi
 DEVM loquentem audire visa
 est; exciperet Angeli nuntium,
 neque de dictis ejus dubitaret,
 quâ ratione solet Divinum Nu-
 men in suis revelationibus, uti
 olim in Prophetis, certitudi-
 nem exploratam adferre. Hac
 certitudine divinitus animo
 immisâ, genibus flexis, reve-
 renter excepit Archangeli di-
 cta; venire se, aiebat, à Regina
 Cœlorum DEI Matre, cui per-
 quàm grata, & accepta essent,
 quæ jam ordiretur exercitia
 spiritus; illam maximè delecta-
 ri hoc genere meditationum
 de divinis Mysterijs, & bonis
 per Christum Filium humano
 indultis generi, quæ medita-
 tiones intellectus ratiocina-
 tio-

tione, & affectus concitatione
 perficerentur, ad eam normā,
 quā in Societate JESU exerci-
 tia consueffent institui; perge-
 ret porrò, uti erat aggressa, ad
 DEI gloriam, Reginae Cœli id
 fore acceptissimum, quæ Pa-
 trona esset, Præses, ac funda-
 trix horum exercitiorum cum
 in ijs efformandis, certâq; me-
 thodo comprehendendis ipsa
 B. Ignatium adjuvisset, atque
 instruxisset, ab eâ Duce, & Ma-
 gistrâ, id genus meditationum
 originem duxisset, quin, & eas-
 dem illam, dum viveret, obire,
 & frequentare solitam, eisque
 mentem suam occupavisset, &
 excoluisse. *P. Bourghesius in li-
 bello quòd Societas sit Vir-
 gin. sacrat. c. 12.*

§. 3.
*Quàm ferventes affectus,
 quam sancta, & solida pro-
 posita B. V. inter medi-
 tandum concipi-
 peret.*

Q Vos affectus, quæ deside-
 ria, & proposita ex cog-
 nitione beneficiorum, & myste-
 riorum divinorum conceperit
 Sanctissima Virgo, aliquatenus
 nosse possumus ex ijs, quæ tra-
 dit S. Brigitta agens de ipsa
 à teneris annis in Templo me-
 ditationibus insistente. Cùm
 primùm, inquit, MARIA puella
 DEVM intelligere cœpit, non
 sinè metu, & cura de suo mu-
 nere, quod summo debere
 Numini, non pueriliter cogi-
 tavit. Postea verò cùm eundem
 Domi-

Dominum Creatorem, omnis
 vitæ spectatorem, & iudicem
 intelligeret, statuit illum ma-
 ximoperè revereri, ne quid
 cõmitteret, quo tanta majestas
 offenderetur. Deinde agno-
 scens hunc esse peculiarẽ DEVM
 Israëlis, in quem tam munifi-
 cus fuisset, decrevit hunc solum
 DEVM amare maximo studio.
 Tandem ad eam cognitionem
 progressa; quã eum contem-
 plaretur mundi Redemptorem
 fore, & de Virgine nasciturum,
 ingenti erga illum charitate
 flagravit, nihil ut præter illum
 cogitare, nihil desiderare vel-
 let. Hæc sancta Brigitta, *lib. 1.
 Revel. cap. 10. Et lib. 3. cap. 8.*
 Quàm verò intensi, & fervidi
 fuerint illius affectus, nemo
 pro meritis explicare potest:

Amica enim illa speciosa, quã nihil DEVS habebat carius; jam tum (de pueritia ejus loquitur Canisius lib. 1. ca. 13.) cœlesti amore, velut multis jaculis vulnerata, & una ex millibus ad castissimos amplexus electa, ô quantos æstus, ô quantos ignes persentiebat! quem finem amandi teneret, cui dulcissimus ille, & suavissimus DEI spiritus pias, & amantes ciere lachrymas, quam ad inenarrabiles gemitus provocare, cujus sensus omnes penitus occupare, & pascere, cui tam divinos subinde impetus afferre, mens ut illi mirificis splendoribus illustrata, & divinis ardoribus æstuans in suavissima summi boni contemplatione quodammodo deficere videretur.

Et

Et ut summam ardorem
 contemplationis Deiparæ per-
 stringamus, sentiunt Doctores,
 quascumq; illustrationes, con-
 solationes, mentis suspensio-
 nes, & ectases ulli puræ crea-
 turæ unquam concessas, ple-
 niùs, & uberiùs à DEO B. V.
 cōmunicatas. Imaginare ergo
 tibi, vel S. Paulum in medio
 ardentissimæ charitatis rogo
 penitus concrematum, & con-
 clamantem: Quis me separa-
 bit à Charitate Christi? vel
 S. Magdalenam ad præsentiam
 solis sui JESU, instar nivis te-
 nerrimo amoris affectu colli-
 quescentem; vel S. Augustinum
 jaculis amoris totum transfi-
 xum, in osculis vulnerum Chri-
 sti planè deficientem, & sibi
 immorientem, ut illi viveret,

R 6

vel

300 HORTVLVS

vel S. Franciscum cum his verbis: DEVS meus & omnia, Crucem, amores suos, Seraphicis brachijs amplexantem; vel S. Thomã Aquinatem in ferventissimo, purissimoq; amoris incendio suspirantem ad JESVM: Te Domine, te ipsum volo, & nihil ampliùs; vel S. P. Ignatium inter has voces: Quãtfordet terra cùm Cœlum aspicio! & istas: O DEVS cordis mei, si te mundus cognosceret! à terra sublimem, lachrymis tenerrimæ devotionis madentem, & delitijs cœlestibus totum absorptum; vel B. Stanislaum Kostka terrestrem Angelum, ita divino amore intermeditandũ exardescentem, ut necesse esset linteum frigidã perfusum exæstuantis ejus pectori

tori applicare, ad illud refrige-
 randū. Hos, & alios hujusmodi
 affectus contemplantiū obijce
 menti tuæ, quantos quantos
 voles, eos tamen omnes repu-
 tabis exiguos, ac velut scintil-
 las, si cum æstu Mariano con-
 feras. O si ad istam fornacem
 amoris Deiparæ identidem,
 cū meditaris, glaciale cor
 tuum admoveres! si tibi tor-
 pescenti, dormitanti B.V. in
 exemplar proponeres! si tibi
 diceres: Quantò ferventiùs
 Virgo Mater meditabatur de
 hac eadem materia! Quantò
 ardentioribus affectibus, subli-
 mioribus desiderijs, firmiori-
 bus propositis DEO summo
 bono uniebatur arctis-
 simè!

R 7

Quam

§. 4.

Quam Recollectionem institueret B. V. post meditationem.

M Aximè sedula fuit, ut quas illustrationes diuinitus acceperat, quæ desideria, & proposita conceperat, memoriæ commendaret, & conservaret sibi primùm, deinde nobis, inquit, Eusebius Emisēnus *Homil. 5. in Assumpt.* Exinde ignis tempore meditationis excitatus fovebatur interdium, augebaturq; ab eâ continuò, ut tota vita ejus fuerit ardor perpetuus, & ebrietas perfusi amoris; Ita loquitur Rupertus *in sermon. de Assumpt.* Nec dubitandum est, quin ipsamet Virgo S. Ignatium (sicut eum

eum in alijs partibus exerci-
 tiorum direxit, ut paulò ante
 vidimus) edocuerit illam ad-
 ditionem, quã præscribit, ut
 completo exercitio, seu medi-
 tatione, per quartam circiter
 horæ partem ejus successus di-
 spiciatur, & examinetur; quod
 & ipse præstitit diligentissimè,
 quotidie in libellũ omnia sensa
 sua, & desideria referens, & qui
 eum proximè in eodem viven-
 di instituto sequutus est, P. Pe-
 trus Faber, cujus extant breves
 illi quidem sed benè pij Com-
 mentarij, quos de rebus suis
 quotidianis scripsit, eo confi-
 lio, ne quid acceptorum à DEO
 munerum elaberetur è mente,
 sed eis retractandis, ac rele-
 gendis, ad gratiarum excitare-
 tur actiones, ardentemq; amo-
 rem

rem tam benefici Patris; in illos suas progressionem, ac gradus, repentinos in DEVM impetus, & amores, cœlestes dulcedines, & voluptates, præclara quædam lumina, animique sensa divinitus hausta, omnem pietatis exuberantiam, omnia deniq; à DEO profecta munera; ac beneficia, quoad ejus fieri poterat, referebat. Quam quidem mentem sibi à Deo paratam tum maximè inditam, confirmatamque ipsemet testatur, cum Festum dedicationis MARIE de Portiuncula sive de Angelis, devotè celebraret.

CAPVT VIII.

Imitatio devotionis B.
V. erga sacrificium
Missæ.

B. V.

§. I.

*B. V. magnâ religione pro-
sequebatur Sacrificium
Missa.*

Post Ascensionem Filij sui
Virgo Mater quotidie sa-
crum audiebat, quod à S. Jo-
anne, vel ab alio Sacerdote ce-
lebrabatur. Ita Suarez, & alij.

Nec dubio locus esse potest
quin Deipara vitam mortalem
degens sacrum audiret quoti-
die, cum jam in Cœlos assum-
pta nonnunquã visa sit in ter-
ras remigrare, ut illi interesset.
Narrat bonus Author vitæ S.
Boniti Aruernorum Episcopi,
DEI Matrem cum magno An-
gelorum & B. hominum comi-
tatu in S. Michaëlis Templum
advenisse, præcepisseq; ut Bo-
nitus,

oup

nitus, qui tunc istic orationi
 solus vacabat, sacrum faceret:
 fecit, ut iussus erat; ministra-
 bant Angeli, Deique gloriosa
 Mater audiebat, & inenarra-
 bili gaudio gestiebat. Abso-
 luto sacro casulam suo Mystæ
 MARIA largita est, incognitæ
 materiæ, candoris eximij, &
 inusitatæ levitatis, suæ præ-
 sentiæ & in Bonitum affectus,
 ac in res sacras devotionis mi-
 rabile monumentum. *Ser. in*
eius Vita in Ian. S. Andream
 Carmelitanum, Episcopum Ves-
 sulanum primùm sacris ope-
 rantem eadem Virgo suâ &
 multorum Angelorum præsen-
 tiâ dignata est, eumque hâc
 non minùs honorificâ, quàm
 amicâ salute impertijt: Ser-
 vus meus es tu quem elegi, in
 quo

quo gloriabor. *Idem in ejus
Vita.*

Illud verò longè mirabilius
quod Henrico Imperatori pu-
ritatis virginæ imitatori exi-
mio videre contigit, cùm se-
mel Urbem ingressus de more
in S. MARIAE Majoris primã no-
ctem excubaret. Stabat Chri-
stus faciendo sacro composi-
tus, aderant Diaconus S. Lau-
rentius, Subdiaconus S. Vin-
centius, undequaq; cœlestium
chororum circumfusa multitu-
do, inter quos Deipara media
coruscabat. Introitum cecinê-
re Angeli, Suscepimus DEVS
misericordiam tuam, &c. Dum
verò paulò post subjungeretur.
Iustitia plena est dextera tua,
omnes Christum, & B. V. imi-
tantes in Henricum digitos ex-
ten-

tenderunt. Post evangelium
 Christus, & Deipara, suoq; cæ-
 teri ordine, librum osculati
 sunt; Angelo verò Missale de-
 ferenti innuit Virgo Mater, ut
 illud quoq; Henrico porrige-
 ret in osculum pacis, cuius sibi
 mirum in modum placeret vir-
 ginitas. Quæ omnia dum ma-
 gno Henrici gaudio perficiun-
 tur, ipsum velut alterum Jacob
 in nervo feriens Angelus ait:
 hoc tibi erit in signum dilec-
 ctionis divinæ propter tuam
 castitatem, & justitiam. Et ex-
 inde claudicavit; *Idem 19. Junij
 in ejus Vita.*

Religionem præterea suam
 sanctissima Virgo testata est,
 debito honore, cultu, reveren-
 tiâ, non tantum ipsum sacrifi-
 cium, sed res omnes ad illud
 ali-

aliquo modo spectantes prosequendo, ut templa, altaria, eorumque ornamenta; vestes Sacerdotales quas ferunt ab ipsa confectas, & ornatas fuisse, aliaque similia, quæ & dum hic viveret, & modò in cœlis triumphans sibi sæpenumerò declaravit cordi esse, & venerationi.

Joannem Patricium Romanum, uxoremque ejus, pientissimos juxta, & opulentissimos admonuit in somnis, ut quem locum nivè conspersum viderent, in eo templum exædificarent; se enim ita velle, ab ijs (quod unicè cupiebant) bonorum ex assè hæredem scribi. *In Officio dedicationis MARIE ad Nives.*

Celeberrimum etiam illud
quod

310 HORTVLVS

quod sequitur. Eadem Virgō
 S. Ildephonsum, è S. Benedicti
 Ordine Episcopum Toletanū,
 sacrā veste donans ita allocuta
 est: Accipe de manu mea mu-
 nusculum, quod tibi de thesau-
 ro Filij mei attuli, cultæ in tuo
 corpore Virginitatis, cum men-
 tis puritate, fideiq; ardore con-
 junctæ, nostræque Virginitatis
 defensæ præmium; inter quæ
 verba, vestem suis ipsa manibus
 collo ejus inseruit, hæc (inqui-
 ens) Filij mei, mea q; quæ toto
 recurrunt anno Festa celebra-
 to. *Sur. in ejus Vita.*

§. 2.

*Quomodo se gereret Virgo
 Mater tempore
 sacri.*

Quân-

Quantam maximam huic
 sacrosancto, & tremendo
 sacrificio, ac plus quàm Ange-
 licam, & Seraphicam devotio-
 nem exhibebat, & ad singulas
 illius cæremonias advertebat
 animum dulcissimo gustu pie-
 tatis. Si enim, ut supra memo-
 ravimus, adeò erga loca sacra
 afficiebatur, eò quòd inde ad
 Divorum mysteriorum, & re-
 rum à Filio patratarum memo-
 riam, ac contemplationem sibi
 animum excitari, & varios af-
 fectus pietatis augeri experi-
 retur; quantâ credimus volu-
 ptate, quantâ religione, quan-
 to amore illi intereat sacrifi-
 cio, in quo ipsius Filij verè, rea-
 liter, ac corporaliter præsen-
 tis, vitæ, & mortis mysteria sa-
 crosanctis ritibus recoluntur,
 &

312 HORTVLVS

& exhibentur? Imitare hanc Virginis religionem, reverenter, & devotè sacrum quotidie audiendo, ejus exemplum frequenter mentis tuæ oculis obijciendo; quantâ attentione, quâ rêverentiâ internâ externâque, quo ardore charitatis, nunc hanc, nunc illam cærimoniam sacram contemplaretur: exardesce & tu totus præsertim tempore elevationis sacræ hostiæ, perinde ac si cerneres Virginem Matrem Patri æterno dilectissimum Filium JESVM offerentem.

Ferunt MARIAM Oegniacensem solitam singulis annis in Festo Purificationis conspici purissimam Virginem in Templo Filium offerentem, Simeonem occurrentem, divi-

num

numq; puerum amplexantem ;
 ex qua visione tantam haurie-
 bat illa voluptatem, quantam
 hausisset, si rem hanc admiran-
 dam, & planè cœlestem, eo ipso
 quo gesta est die, & corporis, &
 mentis oculis conspexisset. *Vi-
 triac. in ejus Vita.*

Poteris etiam imaginari
 Deiparam, velut sacrificij præ-
 sidem, tibi singulos ritus expla-
 nare, abditaq; in illis mysteria
 palàm facere, non absimili mo-
 do ac cuidam Sacerdoti sibi
 plurimum addicto, cujus ani-
 mum frequens, & gravis de ve-
 ritate corporis Christi pulsabat
 tentatio : hic enim quodam
 Sabbatho dum sacrum facit,
 advertit repentè post conse-
 crationem disparuisse hostiam;
 miratur, stupet, & dum cuncta
 S in

314 HORTVLVS

in altari anxie perlustrat, quaerens quam non videbat hostiam, contemplatur Virginem Matrem sibi assistere dulcissimum Filium in ulnis tenentem, auditque sibi haec effantem: Ecce quem sancta Puerpera portavit; ecce quem consecras; ecce quem manibus tractasti, quem levasti; hunc tibi trado Filium meum, accipe & Missae officium perfice. Accepit Sacerdos Divinum Infantem, & super corporale reposuit: cumque eò pervenisset, ut jam deberet hostiam frangere, disparente puero, sua hostiae pristina forma restituta est, & simul depulsam mentis ejus caligine, ac tempestate sedatam, malacia pacis, & voluptatis ingens secuta est. *Pelb. in pomer. B.V. l. 12. part. ult. parag. 1.*

Sed

Sed age quantâ tu devotio-
 ne sacro interessēs si ad præci-
 puas ejus cæremonias contem-
 plareris, audiresque Virginem
 tibi dicentem: Ecce hoc, vel il-
 lud tibi modò repræsentatur;
 ecce Filius meus quem ego ca-
 stissimis meis visceribus genui,
 jam offertur, & incruento sa-
 crificio immolatur: & si tem-
 pore communionis imaginare-
 ris eam tibi Filium suum dile-
 ctissimum in ulnas consignan-
 tem, sicut olim S. Simeoni,
 sicut Pastoribus, sicut tribus
 Magis, & alijs.

CAPVT IX.

Imitatio B. V. in sumen-
 da sacrosancta Eucha-
 ristia.

S 2

Præ-

§. I.

*Preparatio ad sacram Com-
munionem.*

S Anctiss. Virginem Christo Filio suo in terris superstitem quotidie sacram Eucharistiam sumpsisse, & ipsius ferventissima pietas, atque ad res divinas inexplicabilis propensio, & devota Christianorum tunc temporis consuetudo manifestè probant. Tu verò qui istiusmodi devotionis æmulus, sæpiùs juxta directionem eorum, quibus conscientiam tuam regendam committis, sacrosancta obis mysteria, vide, ut non tantùm in sæpè communicando, sed multò magis in modo devotè comunicandi cum debita præparatione, puritate, humi-

humilitate, charitate, ceterisq;
virtutibus eam imiteris.

In primis hanc considera-
tionem sæpius, & præsertim
pridie communionis vel ipso
die manè tibi redde familiarē
quā magno animi sensu, & pa-
ri fructu utebatur P. Sotoëllus
Societatis J E S V inclytus in
Anglia Martyr, prout ipsemet
in suis pijs commentarijs pro-
pria exaratum manu reliquit.
in hæc verba: Si B. V. rursus
deberet Christum in utero ge-
stare (vel communicare) sci-
retque horam, & momentum
quo venturus esset, quantis se
præparationibus disponderet?
quot putas amoris actus con-
tinuò faceret! Quam attentè
cordis sui thalamum præpara-
ret! Quot lachrymīs, quot su-

S 3 spirijs,

318 HORTVLVS

spirijs, quot ignitis orationibus diem illum, & horam expectaret! & cum tempus adesse sciret, quam humiliter, devotè, reverenterq; se componeret! tota procul dubio in DEI contemplatione, & summae ipsius bonitatis, amoris, majestatis, & misericordiae consideratione hora illa absorberetur, ita ut charitatis ardore inflammata, divina magis quam humana fieret, & terrenorū prorsus oblita, inter caelestes Angelorum choros pariter cum eo quē receptura esset versaretur. Hæc Sotoëllus pro remotiori præparatione.

Sub sacrum in quo es communicaturus, proximè te dispones in hunc modum.

1. Elicies actus fidei, humilitatis,

tatis, cōfusionis; & doloris de peccatis prævijs, his vel similibus interrogationibus. Quàm fervens, quàm intensus erat actus ille fidei, quem Sanctissima Virgo eliciebat communicatura! an non similis illi quem exercuit, vel quando Archangelo Gabriëli credidit, tam admirabilem, & incomprehensibilem partum, & conceptionem Filij DEI nuntianti? vel quando Christum Dominum toto nudum corpore, hominũ ludibrijs, & sannis expositum acerbissimã defungentẽ morte vidit, & tamen eum esse potentissimum, sapientissimum, sanctissimum, immensæ majestatis, perfectionis, & gloriæ credidit, & protestata est, eumque DEVM suum adoravit.

S 4 Cùm

Cum hoc lumine fidei quam profundè in se ipsam descende-
 bat, quam humiliter se de-
 mittebat coram Divina Maje-
 state! illa videlicet quæ cum
 nuntiaretur in DEI Matrem
 electa, se ejus Ancillam repu-
 tabat, & profitebatur; & quæ in
 cœnaculo cum Apostolis, &
 discipulis expectans adventũ
 Spiritus sancti, ultima omniũ
 in novissimo sedebat loco.

Tu hanc fidem, & humilita-
 tem quam proximè sequi stu-
 de, & procidens coram Sacro-
 sancta Eucharistia, agnosce &
 fateri indignitatem tuam, &
 detestare ex animo ejus pri-
 mam, & principem causam in-
 numerata peccata tua, rogans
 obnixè Virginem purissimam
 quæ adventanti Domino de-
 cen-

centissimum præbuit hospitium,
ut te Filio suo mundum, & ex-
purgatum à scelere, oculisque
ejus gratiosum sistat.

2. Exercebis actus spei, & fi-
ducia de misericordia DEI, &
excitabis flagrans desiderium
fuscipiendi Christum, hoc ferè
modo ad imitationem B. Vir-
ginis.

Quomodo Deipara Divinam
degustans misericordiam, se ad
hoc sacramentum invitante,
totq; virtutibus, ac donis cæ-
lestibus disponentem ut dignum
Filij sui habitaculum efficere-
tur, quomodo (inquam) exur-
gebat in DEVM per spem, & fi-
duciam! & quale, quam inten-
sum desiderium excitabat sus-
cipiendi Christum! illi procul
dubio persimile, quo adventum
ejus

ejus in terras ferventiùs quàm Patriarcharum ullus exoptavit, vel quo eum perditum per triduum tam sollicitè, tam amanter quæsit, vel quo in triduo mortis instar turturis gemens, ad resurrectionem ejus suspiravit!

Imitare Sanctissimam Virginem in exercendis actibus similibus spei, fiducia, desiderij tam munificum hospitem suscipiendi, à quo tibi tot obveniunt bona. Pete ab ea ut trahat te in odorem horum unguentorum suorum, ut animam tuam decenti virtutum ornatu condecoret.

Idè egit communicatura S. Gertrudis, quæ sub missam legere consueverat ter Psalmum, Laudate Dominum omnes gentes

tes

tes, & ad primum supplex fiebat omnibus Sanctis ut merita suarum dignitatum pro se Domino offerrent; ad secundum & tertium idem à B. Virgine, & à Christo Domino exposcebat. Refert autem ipsamet Sancta, se à Deipara monitam, ut deinceps ad bonam præparationem Sanctissimæ communionis hæc tria perageret: primò ut oraret, per illam innocentissimam puritatē quâ Virgo MARIA Filio DEI placitam mansionem præparavit, ipsius precibus ab omni emundaretur macula: secundò peteret per profundissimam illam humilitatem quâ super omnes choros Angelorum, & Sanctos Virgo Mater meruit exaltari, ut supplerentur omnes ipsius negli-

negligentiæ: tertio deprecaretur per amorem illum inestimabilem qui Deiparam DEO inseparabiliter conglutinavit, ut præstaretur ei copia diversorum meritorum. Addit insuper eadem S. Gertrudis, dum Moniales ad communionem accederent, se vidisse Reginam gloriæ cujuslibet accedentis dextrum latus cingentē, contigentem pallio suo floribus orationum adornato, dicentemq; Christo: In gratiam mei hanc respice, dulcissime Fili: ad petitionem verò Matris Christum Dominum mirè sibi in animabus istis complacuisse.

Lib. 4. in sin. divin. c. 49.

3. Elicies frequentes actus amoris, exemplum Deiparæ secutus. Quis enim amoris incen-

ſcendium comprehendat, quo
 comūnicatura Virgo tota cre-
 mabatur, & tranſibat in holo-
 cauſtum; præſertim cūm reco-
 gitaret eum ipſum ſibi totum
 jam tradi, qui ſe totum pro ge-
 nere humano in cruce immo-
 lavit cruentam victimam; illas
 manus, illos ipſos pedes cru-
 deliſſimè terebratos, illud pe-
 ctus lanceâ, & multò magis
 amore tranſfixum; totum de-
 nique corpus quod tot vulne-
 ribus piſtum, coctumq; fuit, ut
 nobis fieret panis melleus.

Similem amorem, & unio-
 nem cum Chriſto conare in te
 exprimere, recolendo ſingulis
 vicibus quibus communicas,
 aliquod punctum paſſionis; &
 Virgini Matri, ejuſq; Filio gra-
 tiſſimum feceris.

T

S. Lid.

S. Lidvina cum ingenti cō-
 municandi desiderio teneretur,
 nec ei hujusce rei facultatem
 Parochus faceret, astitit
 Angelus tutelaris multâ coru-
 scus luce, qui eam solatus est,
 promisitq; brevi à Christo visi-
 tandam. Cùm ergo paulò post
 totam sese orationi, & contem-
 plationi dedisset, vidit adven-
 tantes Angelos, & hunc cru-
 cem, illum lanceam, istum fla-
 gra, alium clavos, alium coro-
 nam spineam, alios deniq; alia
 passionis Dominicæ instrumen-
 ta ferentes, & lectulum suum
 cingentes (nonne ut ista ocu-
 lis hauriens, per passionis Do-
 minicæ contemplationem me-
 liùs ad communionem futu-
 ram disponeretur?) sequebatur
 Virgo Mater in medio multo-
 rum

rum Sanctorum; demum ipse
 Christus, primò quidè in formâ
 speciosissimi pueruli blando
 vultu ad Lidvinam conversus,
 eamq; mirificè solatus, deinde
 in forma hostiæ quam ipsa mox
 è Parochi, quem advocaverat,
 manu sumpsit, tantis, tam soli-
 dis delibuta ex hoc divino be-
 neficio gaudijs, ut mirum sit
 tantilli pectoris angustias illi
 deliciarum oceano capiendo
 suffecisse. *In ejus Vita Aprili.*
 O si unam guttulam per inter-
 cessionem Virginis divinâ mi-
 sericordia tibi communicaturo
 propinaret! si saltem sincero, &
 simplici corde cum Thoma à
 Kempis posses dicere l. 4. c. 17.
 Domine DEVS meus, Creator
 meus, & Redemptor meus,
 cum tali affectu, reverentia,
 T 2 laude

laude, & honore, cum tali gratitudine, dignitate, & amore, cum tali Fide, Spe, & puritate te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit, & desideravit S. Mater tua gloriosa Virgo MARIA, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium, humiliter, ac devotè respondit: Ecce Ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.

§. 2.

Quæ agenda post Communionem ad imitationem B. V.

TRia hæc potissimùm observabis. 1. gratias ages hospiti tanto. 2. unionem perpetuam, & indissolubilem cum
DEO

DEO desiderabis. 3. petes tibi,
alijsque necessaria in hunc ferè
modum.

I. Quantâ exultatione, quâ
cœlesti voluptate perfunde-
tur susceptâ sacrâ Eucharistiâ
Virgo Mater! quàm immensas,
quàm innumeras grates age-
bat! nonne identidem repete-
bat cum jubilo canticum illud
suum: Magnificat anima mea
Dominum? quantâ sinceritate,
& simplicitate cordis sui, se
suaque omnia hospiti Christo
Filio, & DEO suo offerebat! Tu
fac similiter, & quasi custos tuus
Angelus eodem ferè modo tibi
gratularetur, quo S. Elisabeth
D. Virgini: Beatus es qui cre-
didisti, & DEVM in sacrâ com-
munionem suscepisti; responde
cum exultatione: Magnificat

T 3 anima

anima mea Dominum, & attendens pensiculatè ad verba illius cantici, exprime in te affectus similes affectibus B. V. illud decantantis.

2. Vide (& imitare) quo desiderio Deipara tunc temporis exardescerebat videndi Filium suum, non jam speciebus sacramentalibus occultatum, sed revelatâ facie in Cœlo gloriosum. quod ut aliquatenus delibes, audi quomodo ipsa desiderium suum apud Rupertum explanet: Flebam, & præ singultibus vehementer erumpentibus, non poteram verba nisi concisa, vel voces non nisi intercisas evolvere; nunquid enim poteram absq; fletu verba de illo facere? verùm fletus ipse consolatio mihi erat; delecta-

lectatio quædam mihi erat, sicut & cuiq; vestrum lachrymæ dulces sunt fluentes in ejusdem recordatione dilecti, juxta illud: fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEVS tuus? Quanto magis mihi, dum diceretur mihi quotidie ubi est DEVS tuus, Filius tuus? sive dum dicerem ego, me dimisit in hoc exilio DEVS meus, Filius meus. *l. 5. in Cantica.*

Denique quo fervore petebat B. V. à Christo hospite suo nova dona cœlestia, sibi, alijsq; necessaria! quo affectu Ecclesiam illi universam, fideles vivos, & defunctos commendabat! similibus & tu petitionibus per intercessionem Dei-

T 4

paræ

paræ corroboratis, exercitium
hoc sanctæ communionis con-
cludes.

CAPVT X.

Imitatio B. V. in opere
manuali, seu exercitio
corporali.

§. 1.

*Cui operi manuali Deiparæ
sese impenderet.*

Posteaquam (inquit Bona-
ventura, *suprà*) à mane
usque ad primam divinis insti-
terat, inde usq; ad nonam ope-
re sese externo occupabat, &
teste Euthymio, Sophronio, &
alijs, *Spinel. c. 37. §. 12.* ante
Christi Incarnationem in tem-
pli recessu, in lana, in lino, in
serico

serico sese diligenter exercebat, Sacerdotumq; vestes ornabat. A Christo verò concepto, & nato, Marthæ officiosè partes exegit in eo educando, & in activa vita res domesticas procurando, non parùm sollicitudinis, laboris, & molestiæ posuit. Inter Heliopolim, & Babyloniam medio fermè loco est balsami hortus, qui modico fonte copiosè tamen irrigatur, & fœcundus redditur; in quo fama est B. V. JESVM puerulum sæpè lavisse, panniculos ejus, & linteola ejus abluisse cùm esset in Ægypto, & metu Herodis exularet. Est ibidem lapis, super quem dicitur eosdem Christi pannos quos abluerat exsicasse. *Baron. in annal. ann. 7.*
 Testantur alij inconsutilem
 T 5 Christi

Christi Domini tunicam ab eadem confectam.

Quisquis Deiparam imitari cupis, vide, ut otium fugias. Ruperto eximio suo cultori hebetioris antea ingenij Deipara scripturarum arcana referavit, scientiamq; infudit, sed simul monuit, ne otio torpesceret, alioquin tam expetito spoliandus thesauro.

Libenter etiam, & diligenter opus manuale exerceas, quod vel obedientia tibi præcipit, vel charitas, & devotio suggerit; gratum hoc B. Virgini, quæ nonnunquam laborantium clientum suorum sudorem visa est colligere.

Narrant Chronica Cisterciensium, cum ejus ordinis Religiosi in metendo strenuè desudaf-

sudassent, apparuisse Virginem
 uni eorum Viro sancto, & sapi-
 enti, cum vase vitreo, quod na-
 ribus suis tanquam ex eo odo-
 rem captans admovebat, hisq;
 verbis usam: Hodie inuisi Re-
 ligiosos meos in agro laboran-
 tes, sudoremq; eorum collegi
 in vase isto, ex quo odor mihi,
 Filioq; meo gratissimus exspi-
 rat: omnia vestra mihi vindi-
 co, ego suscipio, ego suo tem-
 pore remunerabor. *Spec. exen.*
dist. 9. ex. 102.

§. 2.

*Cum qua devotione, & re-
 collectione interna, B.V. ex-
 ercitiū Corporale per-
 ageret.*

V Ita activa (inquit) Petrus
 Damianus *serm de Nativ.*

T 6 Dom.)

Dom.) & contemplativa B.V. perfectiori diligentia ambierunt: adeo ut nec actio contemplatione minueret, & contemplatio non desereret actionem. Idem testatur Guarricus: *serm. de Assumpt.* MARIA, ait, sic se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi, ut nihilominus MARIAE partes executa credatur in studio verbi cognoscendi. Quotquot B.V. cultorum titulo gavisi sunt, & re ipsa sese tales praestiterunt, ejus exemplum hac in re aemulati sunt studiosè, & similem internam recollectionem in medijs externis occupationibus conservare conati sunt.

S. Catharina Senensis, dum eam parentes crebris domesticis ministerijs distrahere, &
à suo

à suo sancto proposito avertere
 moliuntur, divinitus edocta est
 non manufactum in pectore
 suo construere domicilium. ne
 inde unquam evagaretur, ima-
 ginabatur sacra Virgo in Patre
 suo Christum Dominū, in Ma-
 tre sanctissimam Christi Geni-
 tricem, in cæteris domesticis
 Apostolos, & discipulos Salva-
 toris. hac imaginatione con-
 ceptâ id assecuta est, ut omni-
 bus illis cum omnium admira-
 tione hilariter, & officiosè in-
 serviret; nec tamen propterea
 vel tantillum distraheretur à
 præsentia Christi Sponsi sui, cui
 se omnia ea officia præstare
 credebat. *In ejus vitâ.* Dum
 B. Aloysius Gonzaga tricliniū
 sterneret, quo animum habe-
 ret intentum in DEVM, plusq̃;

338 HORTVLVS

gratię mereretur, singulis mensis suum cognomen addebat; in qua Rector sederet, eam dicebat, Christi Domini, huic proximam, Deiparę; cęteras deinceps Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum. Igitur quoties cum Pręfecto Triclinij mensam sterneret: Explicemus, agebat, mappam Salvatoris, aut Dominę nostrę, atque eodem modo cęteras appellabat, in quo ille munere, perinde inflammato affectu, propensoq; in DEVM animo versabatur, quasi revera ad eas mensas Christus Dominus, B. V. cęteri q; Divi, quibus se ministrare fingebat, accubituri essent. *In ejus Vita*

l. 2. c. 25.

CA

CAPVT XI.

Imitatio B. V. in refe-
ctiōe corporis.

§. I.

*Quanta fuerit abſtinentia,
& ſobrietas B. V.*

D Bonaventura perſequens
distributionem temporis
obſervatam à B. V. ante Chri-
ſti Incarnationem, ſic ait, *ubi
ſup.* A Nona iterum ab oratio-
ne non recedebat quouſque
dum illi Angelus appareret, de
cujus manu eſcam accipere ſo-
lebat. De ejuſdem abſtinentia,
ita Ambroſius: Quid exequar
ciborum parſimoniam, officio-
rum redundantiam, alterum
ſupra naturam ſuperſuiſſe, al-
terum pœnè ipſi naturæ defu-
iſſe?

Illic? illic nulla intermissa tempora, hic congregatos jejuniis dies? & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumq; obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. *sup. cap. 2. de Virgin.*

Nec solum Virgo abstinentiam ipsa servavit, sed eandem suis cultoribus præcepit. Testantur Chronica priorum domus Carthusiæ, conversum quendam Carthusianum amoris Divini, & memoriæ Matris Domini ita se totum devovisse ut ab ijs qui vitam ejus nossent nihil scire judicaretur nisi JESUM Christum Crucifixum, ejusque Genitricem. Nocte quadam dum jaceret in cella, ecce Dæmonum turba in specie porcorum agrestium rictu horrendo,

do,

do, dentibus longissimis, hominem circumstant; post paulò con-
 spicit quendam humanâ effigie, enormis magnitudinis
 cellam suam intrantem, qui postquam modò commemora-
 ta monstra desidiæ arguisset, ipse uncum ferreum, longis, ac
 recurvis unguis terribilem, minaci manu prætendit ad Vi-
 rum sanctum discerpendum. sed illicò adfuit visibilis Dei-
 para, & virgâ leni manu pro-
 tensâ. Quomodo (inquit) huc,
 detestandi, accedere ausi estis?
 non est jam vester, nec adver-
 sus eum prævalere poteritis;
 dicto citius totus ille nefandus
 cætus evanuit. Ipsa ad Reli-
 giosum conversa, Placet (ait)
 quod agis, tuique animi devo-
 tionem DEO, mihi que gratam

NOVE-

noveris; fac ergo quod facis, & de his ad meliora perseveranter proficere stude. ut verò aliquid tibi singulare in mandatis tradam; stude vilibus escis, operi manuum devotus insiste, amplectere abjectas vestes. His dictis Cœlum repetijt *Vinc. Belvac. l. 7. spec. hist. c. 117.*

§. 2.

*Quomodo B. V. refectio-
mentis cum refectio-
ne corporis con-
jun-
geret.*

Nemo dubitare potest quin sanctiss. Virgo, dum corpus edendo reficeret, suam animæ quoq; refectio- nem præbuerit: quando & Angelos sibi semper assistentes habebat, qui ipsi ci-
bura

lum deferebant, & ministrabant, ac deinde Christum Dominum commensalem.

Si voles hanc Deiparæ recollectionem imitari, & intercedendum piâ aliquâ contemplatione subinde animū tuum pascere, poteris imaginari die Dominico cœlesti epulum in quo Angeli, & Beati homines cum Christo, ejusque Matre fiantur à gloria DEI, & potantur torrente voluptatis ejus. Die Lunæ Christum Dominum Infantem inter brachia Virginis ab ea lactari, & pasci. Die Martis eundem jam grandio-rem, & mensæ accumbentem cum eadem Virgine, & S. Joseph in Nazareth. Die Mercurij Christum in deserto vespertem post jejunium 40. dierum,

mini-

344 HORTVLVS

ministrantibus illi Angelis, & de victoria adversus Dæmonem reportata congratulantibus. Die Jovis eum in ultima Cœna cum Apostolis manducantem. Die Veneris, in cruce felle potatum. Die Sabbathi considera B. V. prout suprâ diximus, inter medios Angelos ipsi ministrantes vescentem, vel mensæ tuæ benedicientem, atque misericordiæ suæ melle cibos tuos condientem. Hoc enim ab ea sæpè impensum est beneficium, præsertim Religiosis. Visa est aliquando circumire mensas Monachorum Cisterciensium, & quoddam electuarium cæteris distribuere, uno excepto qui cibos communitatis respuebat, & in victu singularis erat. *Cæs. lib. 8. ca 48.*

Ægro-

Ægrotanti Fulberto egregio
 Virginis cultori, cum magnis
 morbi doloribus obsideretur,
 & eum omnium eduliorum nau-
 sea jam cœpisset, tradunt ad-
 fuisse Deiparam, illique de Vir-
 gineis uberibus sugendum præ-
 buisse nectar. O si bona Mater
 cœlestium illarum suavitatum
 quidpiam è Materno pectore
 in nos eliquaret! quanto con-
 temptu, & fastidio à delicijs il-
 lis corporalibus, sensuumque
 vili, & nobis cum bestijs com-
 muni voluptate averteremur!

§. 3.

*Quibus Colloquijs D. Virgo
 animum post Refectionem
 relaxaret.*

Q Valia scilicet convenie-
 bant Virgini tam Sanctæ,
 tamq;

tamq; DEO conjunctæ, & quæ
 plerumq; vel cum Angelis, vel
 cum Christo, vel cum S. Jose-
 pho, vel cum sacris, DEOQUE
 devotis fœminis loquebatur.
 Quotidie enim (asserit D. Bo-
 naventura *sup.*) videbatur illi
 Angelus loqui, & quasi charissi-
 mæ Matri, vel Sorori obtem-
 perare. Et S. Brigittæ revela-
 tum est Christum adhuc pue-
 rum in privatis, & domesticis
 cum Matre, & Josepho collo-
 quijs multa illis arcana dete-
 xisse, eamque fuisse sermonis
 ejus dulcedinem ut singularem
 ex illo voluptatem uterq; per-
 ciperet, & Divini amoris illa
 oratio flammam ingentem ex-
 citaret. *lib. 6. revel. cap. 58.* Di-
 ximus supra Virginis amatores
 valdè addictos esse colloquijs
 spiri

spiritualibus, nec opus est hic
plura eâ de re attexere.

C A P V T XII.

*Imitatio B. V. in capien-
do somno.*

Q Valis fuerit somnus san-
ctæ Virginis, edisce ex D.
Ambros. Dormire (inquit *sup.*
lib. 2. de Virg.) B. V. non prius
cupiditas quàm necessitas fuit;
& tamen cùm quiesceret cor-
pus, vigilabat animus, qui fre-
quenter in somnis aut lecta re-
petit, aut somno interrupta
continuat, aut disposita gerit,
aut gerenda pronuntiat. Adde
ex D. Bernardino. Actu meri-
torio (ait *tom. 2. serm. 51. c. 2.*)
tendebat Virgo dormiens in
D E V M, etiam isto tempore
per-

perfecta contemplatrix. Hanc
 virtutis sanctimoniam in dor-
 miendo, imitare quo potes
 modo: multum valet ad eam
 comparandam continuata in-
 terdiu, & in vigilia virtutum
 exercitatio, ac devotio. Hone-
 ste verò, decenter, sancteque
 quiescentibus benedicit Virgo
 Mater, quam vidit S. Domini-
 cus Religiosorū suorum lectos
 aspergentem, uni verò eorum
 indecenter, (licet ex inadver-
 tentia) decumbenti, benedi-
 ctionis gratiam denegantem.
in ejus Vita lib. 2. cap. 13.

CAPVT XIII.

Imitatio præcipuarum
 Virtutum B. Virginis, &
 in primis Puritatis
 mentis.

Idea,

§. I.

*Idea puritatis sanctissime
Virginis.*

Quanta fuerit puritas B.
Virginis, quam nulla un-
quam vel minima ullius pecca-
ti labecula defœdârît, uno ver-
bo satis exprimit Basilius dum
dicit, nihil illi æquale, nullam-
que puritatem inter homines
majorem reperiri potuisse; *in*
orat. de humana Christi gene-
rat. & D. Anselm. Pura (inquit
de exc. Virg. c. 9.) sanctitas, &
sanctissima puritas pijssimi pe-
ctoris ejus, omnẽ omnis crea-
turæ puritatem, sive sanctita-
tem transcendit incomparabi-
li sublimitate. Porrò ad hanc
puritatem conservandam, ad-
hibebat D. Virgo ei comites
V **duas**

duas alias virtutes, scilicet con-
tinuam præsentiam DEI, & ti-
moratam sui custodiam. De
præsentia DEI sic ratiocinatur
Canisius, *l. 1. cap. 13.* Quid MA-
RIA foelicius, quæ ubicumque
degeret, sempiternum illud nu-
men ob oculos sibi contem-
plandum proponere, tantam
majestatem intimè revereri,
Patrem in Spiritu, & veritate
semper adorare, nihil nisi purū
& Divinum puro illo sanctoq;
pectore concipere, atque con-
servare. De timorata sui cu-
stodia ipsamet Virgo sanctæ
Brigittæ hæc retulit: Ego à
principio cūm audirem, & in-
telligerem DEVM esse, semper
sollicita, & timorata fui de sa-
lute, & observantia mea, & in-
timè dilexi DEVM, & omni
hora

hora timui ne eum verbo, vel
facto offenderem. *lib. reuelat.*
cap. 10.

§. 2.

*Amor, & desiderium simi-
lis puritatis.*

VT verò hanc puritatem
non tantum cognoscas,
sed etiam cognoscendo ames,
& amando desideres, frequen-
ter eam in B. V. tibi repræsen-
ta ut splendidam, pulcram, &
amabilem DEO, Angelis, & ho-
minibus gratissimã; qualis ap-
paruit S. Gertrudi. (*lib. 3. in sin.
diuin. cap. 19.*) instar candidis-
simi, & rutilantis Lilij coram
Sanctissima, & individua Tri-
nitate sese expandentis; quo
etiam tempore edocuit eam
Deipara sequentem salutatio-
nem

V 2 nem

352 HORTVLVS

nem sibi longè acceptissimam:
 Ave Candidum lilium fulgidæ,
 semperq; tranquillæ Trinita-
 tis, rosaque præfulgida cælicæ
 amænitatis, de qua nasci, & de
 cuius lacte pasci Rex Cælorū
 voluit, divinis influxionibus
 animas nostras pasce. Deside-
 rium ex amore facile erit eli-
 cere, & subinde cū occurrit
 imago D. Virginis, quasi ex-
 pressam, & micantem in ea vi-
 deres puritatem, poteris uti
 accommodatè his verbis Sa-
 pientiæ: O MARIA per purita-
 tem speciosior sole, & super
 omnem dispositionem stellarū
 luci comparata inveniris prior,
 te amavi, & exquisivi à juven-
 tute mea, & amator factus sum
 formæ tuæ.

Hac nitenti puritate, & præ-
 puris-

purissimo JESU Christi amore
 cætera spernenti S. Claræ de
 monte Falco, sex duntaxat an-
 norum Puellæ, semel adfuit
 per visum Virgo Mater Divinũ
 brachijs gestans Infantẽ, quem
 quodammodo elabentẽ è ma-
 nibus, & exilientem ad charis-
 simæ amplexus sponsæ Claræ
 dulciter excitabat M A R I A ;
 cùm verò excitata Puellula
 curreret in osculum ridentis
 infantuli, lusit IESVS, & effu-
 git, & sub Matris se vestibus oc-
 cultavit, ingenti interim amo-
 ris suavitate in animo ejus re-
 lictã.

§. 3.

*Examen particulare circa
 praxim imitationis ejus-
 dem puritatis.*

V 3

Exa-

EXamen particulare institues, eo quo supra declaravimus modo, circa fugam peccatorum, utendo pro memoriali, instrumentis duobus acquirédæ puritatis; scilicet præfentiâ DEI, & custodiâ sui, determinato tempore vel loco. Ac quidem primò à gravioribus peccatis incipe, si in ea quandoq; labaris, & ut firmum edas propositum, fervensq; studium adhibeas ijs extirpandis, attende sæpiùs quantum ea displiceant Virgini tam puræ, ad eò Divinũ stienti honorem, & gloriam, cui peccata omnia, & præsertim lethalia tantopere adversantur: quam Deiparæ à peccatis averfionem ipsâ experientiâ sensit peregrinus ille omnibus sceleribus coopertus,

&

& profligatæ vitæ apprimè tenax, qui ab æde Lauretanâ umbrâ quadam sese horrendâ specie illi obijciente, bis repulsus est, nec antè ingredi potuit quàm animum confessione expiaffet. *Tursel in hist. Laur. l. 5. c. 27.* Simile aliquid experta est S. Maria Ægyptiaca, tunc nō sancta, nec ingredi ad sanctum Domini sepulchrum (cœlesti vi prohibente) antè potuit, quàm B. V. opitulante misericordiâ, serio resipuisset.

Deinde ubi te à majoribus, & lethalibus criminibus per intercessionem Deiparæ auxiliante Divinâ gratiâ immunem reddideris, progredere ad impugnanda, & expugnanda in te peccata venialia, & maximè, ac primò ea quæ ad graviora

356 HORTVLVS

viam sternunt, quæ alijs sunt
offendiculo, & in quæ sæpiùs
incidis. Hoc verò unum certū,
& persuasum habe, non gravio-
ra tantū, sed etiam quælibet
levia peccata Virgini displice-
re. Nam S. Catharinam Senen-
sem divinæ cuidam visioni se-
mel intentam, eò quòd oculos
ex curiositate paulisper aliò
convertisset, propter tantillam
à Divinis distractionem acri-
ter Sanctissima DEI Genitrix
reprehendit, ita ut mox Catha-
rina in amarissimum fletū pro-
ruperit. *In ejus vitâ.* Narrat
Cæsarius Cisterciensem quem-
dam Christianum nomine, æ-
tate juvenem, ac innocentis
vitæ, quadam nocte absolutis
Matutinis super lignum quod-
dam ante altare recubuisse,
ibiq;

ibiq; dormitasse; sed illicò ad-
fuisse Virginem Matrem, quæ
veste eum feriens excitavit, di-
cens: Christiane, non est hîc
locus dormiendi, sed orandi,
l.4.c.40.

§. 4.

Puritas à B. V. petenda.

Supplex esto sacræ Virgini
frequenter cum Ecclesia
repetens: Vitam præsta puram,
iter para tutum, ut videntes
JESVM, semper collætémur.

Et quia primus puritatis gra-
dus est notitia sui, suorumque
defectuû, eam sæpenumerò de-
posces, lumenq; tibi à Deipa-
ra infundi, quo peccata omnia
tua deprehendere valeas, ut ea
penitùs detesteris, & integrè
riteq; datâ primâ opportuni-
tate

tate confitearis. Hanc gratiam præstitit cuidam sodali suo, qui cum adhibito studio recognosceret cogitata, dicta, actaque sua, & obsecraret Reginã Cœlorum ut omnia sibi fas esset peccata confiteri, ne uno quidem prætermisso, ecce tibi de sublimi ante faciem orantis pagella decidit candore eximio, quæ minutis quidem litterulis, sed elaboratis quoddam illius peccatum exprimebat, hoc addito; si illud aperiret, pieque Rosarium recitaret in honorem Deiparæ, benè secum actum iri. Auxit miraculum, quòd cum Sodalis alter, ejus æqualis, parens, Parochus, alijque conarentur, nunquam chi-rographum illud intelligere potuerunt. *Annua Soc. JESV*
ann.

ann. 1588. in Colleg. Monac.

2. Deinde peccatorum tuorum, tam eorum quæ tu ipse recognoveris, quàm aliorum quæ tibi occulta sunt, & oculos tuos fugiunt (non item divinos) implorabis seriam tibi cœlitus infundi detestationē: quali S. Anselmus eximius Virginis amator compungebatur, cum dicebat: si hinc peccati foetorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi; prius me in Infernum mergerem, quàm in peccatū me immitterem. Addit aliquid amplius: malle purus à peccato, & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus Cœlorum regna tenere.

3. Deniq; imploranda continuis,

360 HORTVLVS

tinuis, & humilibus precibus eorum venia, & emendatio, atque ex imo corde ad Deiparæ misericordiam recurrendum, quæ peccatores ad se confugiens benignè recipit; similis illi nubi, quam olim DEVS expandit, teste Psalmista, in protectionem Israëlitarū ex Ægypto fugientium, & per deserta peregrinantium: hæc enim (inter cætera quæ Hebræis præstitit commoda) obtenta soli eorum castra, latè diffusa ita obumbravit, ut sub ardentissimo sole, velut sub conopæo, securi æstus, & laboris ambularent. O quoties universum pænè genus humanū vindicis DEI justitię fervor absumeret, nisi illi sese Deipara, precesq; suas velut alteram nubem obten-

tenderet! frustra asyla quæruntur contra vindicem DEI manum, gladio, pice, sulphure, tonitruo, ultricibus flammis armatam, toto orbe sævientem, ubiq; peccatũ punientem quò ipsa pervadere potest, (quò autem non potest?) nisi pientissima Mater expanso miserationum suarum gremio nos misellos, tremulos, pavefcentes, iusto Patris nostri furori subtraheret, & objectu intercessionis suæ, ardentis Solis justitiæ exitiales nobis radios interciperet. Testatũ id innumeris penè exemplis. S. Gertrudi spectandam se Deipara dedit omnis generis feras, belluinos inquã peccatores ad se confugientes, diducto pallio excipientem, & togæ suæ sinibus occultantem.

X

Ecce

Ecce aliud non tantum Vir-
ginis Matris, sed & Filij eius
propter illam misericordiae lu-
culentem testimonium. Qui-
dam miles omni spe salutis ab-
jecta propter gravitatem scele-
rum suorum ingressus est quod-
piam Templum, & coram san-
ctissimæ Matris imagine pro-
stratus in genua, auxilium ab
ea multis lachrymis implora-
bat, cum ecce tibi ex amplexu
Virginis puer JESVS visus est
cum milite lacrymari, è Matris
autem manibus emicare fons
aquæ quæ totã perfudit aram,
ut intelligeret miles, quanta
sibi veniæ spes esset ab ea, quæ
totius misericordiae fons est, &
quàm non difficilis sit Filius ad
Matris preces, qui cum lachry-
mis perditum hominem ad se
red-

redeuntem excepit. Admoniti
de re tota comites accurre-
runt, ut quò plures oculi con-
spexissent, eò major prodigij
Fides esset, qui quidem imbu-
tum aquâ sudariolum, quâ aram
diximus madefactam, partiti
sunt inter se; miles verò cum
universæ vitæ flagitia confessus
esset, Religionem vovit. *Bonif.
Orland. e. 4. cap. 5.*

CAPVT XIV.

Imitatio Castitatis

B. V.

Quam excellens fuerit B.
V. castitas, explicat S. An-
ton. 4. p. tit. 15. ca. 17. parag. 4.
cum dicit, non solum hominum
viatorum, sed etiam Angelorû
paritatem excessisse. Immo ita

Virginis epithetum, proprium est Deiparæ, ut exclamet Epiphanius: *Hæres. 78.* quis unquã, aut quo sæculo ausus est proferre nomen S. MARIAE, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Abrahamo impositum est epithetum, amicus DEI; & non dissolvetur; Jacob verò ut Israël vocetur, & non alterabitur; & S. MARIAE vox Virgo, & non mutabitur; impolluta enim permansit. Quamvis autem hunc Virginitatis thesaurum magnis DEVS præfidijs in ea circumvallârit, nihilominus tamen & ipsa Virgo maximam ad eum custodiendum adhibuit diligentiam; nam ab omni viri tum aspectu, tum colloquio fuit aliena; ideoq; Alma vocatur ab Isaia,
hoc

hoc est Virgo ab aspectibus hominum abscondita, & secreta, probataq; prorsus pudicitia. Ita Galatinus interpretatur; *li. de arcan. cap. 10. Ibid. cap. 5.* qui etiam asserit oculos B. V. nihil illiciti unquam aspexisse, atque inter cæteras perfectiones eò Spiritu Prophetiæ donatam fuisse, ut si fortè aliquid inconcessum, seu illicitum vel auditura, vel visura esset, illicò ejus aures, & oculi clauderentur, ita ut non nisi divinæ voluntati deservire viderentur; quod quidem Galatini dictum Canisius probabile dicit, *lib. 1. de B. Virgo, ca. 13.* quamvis nesciat ex quo fonte illud deprompserit. Porro non tantùm Virginitatem ipsa Virgo in se amabat, & conservabat, verùm

X 3 etiam

etiam alijs ingenerabat; nam
 licet, (inquit D. Bonaventura
apud Canis. lib. 2. ca. 13. Et Spinnell. cap. 72. num. 29.) & alijs,
 eximium, & admirabilem de-
 corem MARIA præferret; ex
 ejus tamen aspectu omnes ad
 puritatem, & majorem vitæ
 honestatē excitabantur. Nunc
 verò postquam in cœlis degit,
 signum sacræ Virginitatis ex-
 tulit (ait S. Ambros. *lib. de Im-
 stit. Virg. cap. 5.*) & omnes suo
 exemplo ad illam advocat, &
 præsidio confirmat. Excitat
 ergo amorem tam nobilis, tam
 pulchræ, atque adeò Angelicæ
 virtutis; quàm enim pulchra
 est casta generatio cum clarità-
 te! Concipe desiderium illius
 obtinendæ, repræsentando tibi
 identidem B.V. his te com-
 pellari-

pellantem *Eccles.* 24. Transite
ad me omnes qui concupiscitis
me, & à generationibus meis
implemini: Spiritus enim meus
super mel dulcis, & hæreditas
mea super mel, & favum. Ego
quasi vitis fructificavi suavita-
tem odoris, & flores mei fru-
ctus honoris, & honestatis.

Vt verò eam impetres, redde
tibi familiarem hunc versiculū:
Virgo singularis inter omnes
mitis, nos culpis solutos mites
fac, & castos; & Per immacula-
tam Conceptionem tuam li-
bera nos, gloriosa Virgo: quam
oratiunculam Doctor Avila,
celebris in Hispania concio-
nator, plurimum valere dicit
contra impura phantasmata.

Denique quo sint loco apud
Christum, ejusq; Matrem casti-
tatis.

368 HORTVLVS

tatis amatores, ex hac unica
constabit historia. Julianum
(quem amor Virginitatis à nu-
ptijs procul avocabat) contra-
ria pijs ejus votis parentum
voluntas dederat in Sponsum
nobilissimæ Virgini Basilissæ:
sed DEO Juliani preces, quibus
sacrum suum propositum unicè
illi commendabat, exaudien-
te, ecce primâ nuptiarum no-
cte tantus liliorum, & rosarum
(quamvis tunc esset hiems) af-
flatus est odor, ut Basilissa in
amœnissimo horto varijs con-
sido floribus versari sese crede-
ret, ac miraretur, ac exinde à
Sponso suo instructa, & inducta
Virginitatem suam simul cum
illo, JESU castarum animarum
purissimo Sponso vovit. vix
voverant, cùm cubiculi solum
move-

moveri cœptum est, & inexpli-
 cabili luce affulgere; decebat
 quippe nobilioribus paranym-
 phis, convivis, cantoribus,
 aliisque excellentiore apparatu
 nobilissimas has, & jam cœle-
 stes nuptias cohonestari. Hinc
 in medio candidatorum mul-
 torum Rex Christus apparuit;
 inde in medio Virginum, glo-
 riosa Mater, & Virgo MARIA;
 & ne quid deesset ad solenni-
 tatem canebatur suavissimè à
 parte Christi: vicisti, Juliane;
 à choro Deiparæ: es, B. Basi-
 lissa Virgo, quæ Sponso saluta-
 riter admonenti paruisti. Da-
 tus deinde Juliano legendus
 liber in quo scriptum erat: qui
 mei desiderio mundum con-
 tempserit, in eorum referen-
 dus est numerum, qui se cum

X 5 mulie-

mulieribus nunquam inquinantur: Basilissa in ordine Virginum residebit, quarum MARIA IESV Mater princeps est, & Regina. Hæc cum Julianus recitasset, complicavit librum, & Sanctorum, Sanctarumq; milia responderunt: amen. Quantâ putamus solidissimæ, & purissimæ voluptatis copiâ hunc utrumq; castissimum, & incontaminatû conjugem cumulos fuisse? & ubi estis, mundi gaudia? fallacis, perituri, impuri mundi lenocinia, ubi estis? quàm exigua, quàm nulla videmini, ista cœlestia, & solidiora oblectamenta sectantibus!

CAPVT XV.

*Imitatio paupertatis**B. V.*

Pri-

Primò, quomodo Deipara pauper fuerit affectu, omniaque terrena bona despexerit, declarat S. Brigitta, 10. *Revel. cap. 10. & 3. cap. 8.* sublimis, inquit, ille animus qui parata justis in cœlis præmia contemplabatur, omnibus divitijs temporarijs ea anteponebat: imò facultates, & bona externa tantoperè contempfit, ut eo solo contenta esset, quod ad tenuem, necessariumq; victum sat esse videretur. Declarat & Richelius apud Canisium *lib. 1. cap. 10.* qui docet MARIAM Christo jam glorificato cum nova ejus gloria ita sese conformasse, ut totus mundus magis magisque illi vilesceret, ipsaque rebus cœlestibus insatiabiliter inhiaret.

Secundò, quòd fuerit pauper reipsâ, audi ex ipsamet Virgine ista S. Brigittæ revelante. A principio, inquit, vovi in corde meo, si esset DEO acceptabile, nihil unquã possidere in mundo. Testatur idem Nativitas Christi in stabulo, Josephi fabrile opificium, ex quo, sicuti etiam ex labore manuum suarum, ac Christi Domini, Virgo se sustentabat.

Post Ascensionem Christi vivebat inter pauperes, & evangelicas Hebræorũ viduas, cum quibus suam portionem ex comunibus eleemosynis, sive, uti vocabantur, collectis accipere contenta, quidquid demum daretur, id ingenti simplicitate, & exultatione cordis admittebat. *Canis. lib. 5. cap. I.*
 Quam-

Quamvis autem non sit improbabile eam cum Filio exulem in Ægypto alienâ misericordiâ vixisse, & eleemosynas quandoque corrogasse, tamen reliquo tempore non vixisse mendicam, plerique graviores auctores censent; quia non videtur decens fuisse, ut castissima illa Matrona toties limen alienû tereret, & secreti amantissima toties in publicum prodiret.

Tertiò. Hanc paupertatem fuisse spontaneam, & non ex necessâria rerum inopia, colligimus ex qualitate parentum ejus, quorum ipsa erat hæres unica, & ex muneribus quæ plurima, & pretiosissima obtulerant Magi, alijsq; oblaturi fuissent, si ipsa talia appetisset.

X 7 Quar-

374 HORTVLVS

Quartò, munditiam, nitorem, & honestatem fervavit, tum in vestitu, quem habuit decentem coloris nativi, tum in cubiculo, cujus curam habuisse Archangelum Gabriëlem testatur Guarricus, 2. *de assumpt. Virg.* tum in alijs.

Deniq; paupertatem, quam in terris Christus Dominus habuit assiduam comitem, magnifici à mortalibus Virgo desiderat, & omnes suos cultores ad eam, saltem affectu, colendam provocat; Religiosis verò animum addit, & vires, ut paupertatem ad quam ex voto obligantur, constanter observent. S. Franciscus toti mundo à paupertate celebris, non alibi quàm in Deiparæ templo, in æde scilicet **MARIAE de Portiuncu-**

vincula, sive de Angelis, spiritum illum paupertatis hausit, ideoq; gratus in B. Virginem, hunc locum ipsi sacrum, teste D. Bonaventura, *in ejus Vita cap. 2.* Vir sanctus amavit præ cæteris mundi locis; hîc etenim humiliter cœpit, hîc virtuosè profecit, hîc fœliciter consummavit, hunc in morte Fratribus tanquam Virgini charissimum commendavit.

C A P V T X V I.

Imitatio B. V. in humilitate, ejusq; comitibus, modestia, patientia, obedientia.

§. I.

De humilitate B. V.

Humi-

Humilitatem, cæterarum
 virtutum fundamentum,
 summo in pretio habuit B. Vir-
 go. Prima virtus, inquit S.
 Mechtildis, in qua Virgo ab in-
 fantia se singulariter exercuit,
 fuit humilitas, quâ ita modeste
 de se sentiebat, ut cum tot gra-
 tias haberet, nulli creaturæ se
 prætulerit; immò quàm sese
 profundè infra omnes demi-
 serit, quanto silentio virtutes,
 laudesque suas involuerit, te-
 stantur tum plurima alia, tum
 maximè excellens illud canti-
 cum, in quod, laudata à S. Eli-
 sabeth, erupit: Magnificat ani-
 ma mea Dominum. Hoc can-
 ticum humilis MARIA Oegnia-
 census moribunda decantabat,
 non modò ut affectum suum
 erga B. Virginem, sed etiam, ut
 studi-

studium suum, quo totâ vitâ
 exarserat, ejus humilitatem, &
 gratitudinem imitandi, mori-
 ens testaretur. Nec defuit illi
 pia Mater, quæ eam admonuit,
 ut extremo sacri olei Sacra-
 mento tempestivè perungeret-
 tur; & illi morienti cum Apo-
 stolis adfuit, imò & cum ipso
 Christo Domino, qui crucis suæ
 salutare vexillum ad morien-
 tis pedes affixit, victoriæ illius
 argumentum, quâ de hostibus
 per crucis humilitatem trium-
 phârat. *Ex ejus Vitâ Bonifac.
 lib. 4. cap. 3.*

Nec hîc silentio præteriri
 debet rarus, & singularis fervor
 S. Ludovici gloriosissimi Fran-
 corum Regis in imitanda Dei-
 paræ humilitate: erat enim ipsi
 in more singulis diebus Sab-
 bathi,

bathi, quibus præcipuâ in ve-
neratione est memoria Virgi-
nis, privato in cubiculo pedes
lavare egenorum, exficcare,
osculari, novo prorsus regiæ
submissionis exemplo. *In ejus
Vita.*

§. 2.

De modestia B. V.

H Umilitati individuan co-
mitem affociavit mode-
stiam; primùm in silentio, de-
quo Bernardus *Sermone Signũ
magnum*, toties, inquit, MA-
RIA filium audivit non modò
loquentem turbis in parabo-
lis, sed & discipulis seorsum re-
gni DEI mysteria revelantem;
vidit miracula facientem, vi-
dit deinde in cruce pendentẽ,
vidit expirantem, vidit resur-
gen-

gentem, vidit & ascendentem; sed in his omnibus quoties verecundissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita? quod loquendum foret, modestiam, & humilitatem suam in circumspectione, & ædificatione verborum prodebat. Omnibus enim, inquit Nicephorus, 2. *Histor. c. 25.* loquebatur sinè audacia, sinè risu, sinè perturbatione; fastus omnis expers, simplex, & humilitatem præcellentem colens. Vide supra quæ ex Ambrosio c. 5. de eadè modestia in incessu, in loquela, in alijs commemoravimus.

Hanc verò virtutē à se tantè æstimatam suis amatoribus Virgo præscribit, nam teste D. Gregorio, *l. 4. dial. c. 17.* Musam

sam teneræ ætatis puellulam
 sibi addictam monuit, ut à risu,
 jocis, ludo, atque ab omni le-
 vitate puellari abstineret, si se-
 cum regnare vellet. Et sanè
 dum ipsamet in vivis esset B.
 Virgo, erat sollicita, inquit Bo-
 naventura, *in medi. Vita Christi*
 c. 3. circa socias suas, ne aliqua
 ex illis ullo sermone peccaret,
 ne aliqua in risu vocem suam
 exaltaret, ne aliqua superflua,
 aut injurias contra parem suam
 exerceret. Quidni modò in
 cælis gloriosa eadem sollicitu-
 dine teneatur?

§. 3.

De patientia B. V.

EX Humilitate enascitur Pa-
 tientia, quæ in B. V. per to-
 tam vitam clarissimè refulsit:
 fuit

fuit enim in persecutionibus omnibus, & afflictionibus hilaris, in penuria, & indigentia non querula, erga inimicos placida, & officiosa. D. Ambrosius *de Inst. Virg.* fortitudinem, constantiamque ejus Christo crucifixo assistentis paucis cōplectens: stabat, inquit, iuxta crucem filij, non degenerare Mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem; pende-
bat in cruce filius, Mater se persecutoribus offerebat. Hinc Virgo plusquam martyr est, & passim Regina Martyrum de-
prædicatur.

Sed quot, & quàm solida patientiæ argumenta Virgo Mater suggestit Liduvinæ sibi plurimum devotæ, dum morbo gravissimo, acutissimisq; doloribus

ribus

ribus plurium annorum spatio
conficeretur! delegavit illi sæ-
pius Angelum, qui benevolo
aspectu, & cælesti decore eam
recreabat, & cruciatuum acer-
bitatem levabat.

Ille idem Angelus Liduvi-
nam ad Deiparæ imaginem sæ-
pius deducebat, & deinde eam
salutatâ, ac permittente in a-
mœnissimum locum, ubi florû
mira varietas, ac cæli tanta
temperies, ut neq; ab æstu, ne-
que ab algore sibi Liduvina
metueret. Nonnunquam ab al-
tari Virginis ad pœnarum loca
eam raptabat, ut ex ijs disceret
leviora pati, inde ad contuen-
dos cælicolas elevabat, quorû
tantum videbat numerû, tan-
tamq; oculis inde voluptatem,
& oblectamentorum copiam.

hauy

hauriebat, ut à raptu ne minimam se quidem narrare posse partem fateretur. Inclamabant autem ex illo cœtu quidam eã animantes; patere constanter Lidvina, & fortiter quæ præterea ferenda, tolerandaq; restant: nos enim per aquam, & ignem transivimus; nunc autē, ut cernis, in quiete vivimus. Similia tibi imaginare à D. V. suggeri, quando aliquid patiendi sese offert occasio.

Huc etiam pertinet Hermanus ille Contractus, sic dictus, quòd omnibus corporis membris jam inde à juventute captus esset, ex Comite VVeringen prænobili genere in Suevia ortus, & Religiosam vitam magnã cum eruditionis laude in Sanctissimo D. Benedicti Ordine

dine professus, claruit circa annum Domini 1060. Hic vir, authore Trithem. l. 2. de Vir. illust. c. 48. cum DEI genitricem pro valetudine impetrandam enixè esset precatus, & ab eadem per visum optio daretur, ut vel omnium literarum tam divinarum, quàm humanarum scientiam cum membrorum contractione, aut cum sanitate corporis istarum rerum ignorationem eligeret; Hermannus (verba sunt Trithemij) considerans quod Regina Cœli singulariter suadebat, elegit permanere Contractus. At quã ob causam, amabo, id singulariter suavit singulare patientiæ exemplar Virgo; eamq; ut in partem Hermannum traheret, grande istud pretium promisit, nisi

nisi ut intelligeremus eum, qui
 Virginem placere velit, ejus-
 dem Virginis exemplo, rerum
 adversarum studiosum & pa-
 tientem esse oportere? Ex eo
 autem tempore Contractus il-
 le in literis cum Latinis, tum
 Græcis, tum Arabicis ita præ-
 stitit, ut nulli suâ ætate esset se-
 cundus: ab eodem, inter multa
 alia, constat editam Antipho-
 nam Salve Regina in officio Ec-
 clesiastico decantatissimam, &
 Angelico cantu, & multis mi-
 raculis longè celeberrimam.

§. 4.

De obedientia B. V.

DEnique Obedientia Filia
 humilitatis in B. V. fuit
 excellentissima, quod confir-
 mat Gerson, dum dicit, illam
 Y stan-

stantem juxta crucem elicuisse actum obedientiæ supremum, Patri Filium offerendo, & in ejus acerbissima morte voluntatē suam divinæ conformando. Hominibus verò obedientiam singularem præstitit; & quidē parentibus, ait S. Mechtildis, ita subjecta fuit, & obsequens, nullā ut illos ratione unquam offenderit, aut contristārit. In hac tam præclara virtute imitationem sui præscripsit Catharinæ Filia S. Brigittæ, quæ cū Romæ Matri adesset, tantoq; desiderio revisendæ patriæ suę teneretur, ut nec Matri ipsi suæ retinenti obsequi vellet, graviter à B. V. reprehensa est: Egone (inquirebat B. Virgo) tibi opituler, quæ neque DEO, neq; mihi, neq; Matri,

tri, neq; Confessario cedis, & obsecundas? respuit Catharina post hanc admonitionem, & ad obedientiã promptior red- dita est *Sur. in ejus Vita, 10.2.*

Nemini non nota est P. Pe- tri Canisij Soc. IESV Theolo- gi, quem sæpiùs jam citavimus, in cultum Virginis propensio, quam ipsemet in fine 5. libro- rum de ejus laudibus à se con- scripserum satis attestatur his verbis. A te, inquit, Augustis- sima Regina, quam sinè fructu piè nullus implorat, etiam atq; etiam reverenter oro, ut hoc qualectimq; observantiæ erga te meæ testimonium ratũ ha- bere velis. Non sum ego Ephrē fateor, ut cum illo dicere au- deam: dignare me laudare te Virgo sacrata; nec sum Dama-
Y 2 scenus,

scenus, ut novos hymnos tuæ
dignitati spondeam; nec Ilde-
phonfus, ut ob suscepta pro te
certamina proprio munere co-
honester: satis præmij verò re-
tulisse videbor, si me albo tuo-
rum, non dicam amicorum, aut
filiorum, sed clientulorum, &
servulorum saltem adscribi pa-
tiaris. Hæc ille. Audisti ejus in
Virginem affectum; audi nunc
illi à B. V. impressum obedi-
entiæ sensum: sic enim S. Ignatio
filiorum suorum, ac nomina-
tim ipsius obedientiam, quam
exigebat perfectissimã, explo-
ranti, respondit hoc scripto.
Simpliciter mihi gratissimum
fore profiteor quale quale in-
jungatur obeundum officium
ministeriũve, etiam Coqui,
Hortulani, Ostiarij, Auditoris,
&

& in quavis disciplina, licet mihi ignota, Professoris. Atq; ab hoc ipso die sanctè voveo, sinè omni respectu me curaturum nihil in posterum, quod quidem ad habitationis, missionis, similisq; commoditatis meæ modum ullum facere videbitur, relictâ semel, ac semper ejusmodi curâ, ac sollicitudine Patri meo in Christo Reverendo Præposito: cui sanè tam quoad animi, quàm corporis gubernationem, & intellectum ipsum, & voluntatem meam plenè per omnia subijcio, humiliter offero, fidenterque commendo in Christo JESU Domino meo. *Orland. hist. Soc. l. 8. n. 4.* Ut obedientiam in tam excellenti gradu possideas, auxilium Virginis sæpè
 Y 3 implo-

implora, eamq; audi tibi idem
quod ministris nuptiarum in
Cana Galilææ frequenter in-
culcantem: Quodcumq; dix-
erit vobis, facite.

CAPVT XVII.

*Imitatio B. V. in charitate
erga proximum.*

D Bonaventura, *in medit.*
D. c. 13. loquens de elee-
mosynis quas D. Virgo puella
faciebat, sic ait: De esca, quam
de manu Angeli accipiebat,
ipsa reficiebatur; quam verò à
Pontificibus templi accipie-
bat, pauperibus erogabat. Idē
confirmat S. Ignatius, *apud Ca-*
nif. lib. 1. cap. 13. miseris, & af-
flictis commiserationis affectū
præstitit, ac illorum impigrè
subvenit necessitati. Huc spe-
ctat

Etat numerum, quæ à tribus
Magis accepit, distributio in
pauperes; subsidium implora-
tum, & impetratum pauperibus
Sponsis in Cana Galilææ, &c.

Quàm verò eandem Virgo
egregiè, & efficaciter animârit
eam, quam supra nominavi-
mus, S. Lidvvinam ad opera
misericordiæ continuanda, ac-
cipe ex ejus vita, in qua hæc
habentur; Ministerio Angeli,
& B.V. imperio, in paradifum
rapta vidit Beatorum quasi
exercitum, mediamque Dei-
param, ac deinde ibidem men-
sas sterni, exornariq; serico, &
elemofynas quas per id tem-
pus ipsa Lidvina famelicis
dederat, quàm aptiffimè in
illis mensis collocari; potiones
quoque quas in figlinis vasculis

pro sua facultate ipsa pauperibus porrexerat, partim crystallinis, partim aureis patinis reverenter apponi: exin clarissimorum virorum cœtum in mensis illis ornatis, instructisq; discumbere, sonitumque audiri quasi jucundè, hilariterq; prandentium, quibus omnibus ipsa videbatur alacriter ministrare. Hujus postea memor visionis beneficium erga inopes cumulavit.

Quid autem dicam de zelo animarum, quo D. Virgo dum in terris degeret, continuò exarsit? facta est omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret, sciens utique finem præcepti, & legis plenitudinem esse charitatem. Itaq; teste S. Brigittâ, fuit illa magistra Apostolorum, confortatrix

atrix Martyrum, doctrix Con-
 fessorum, clarissimum specu-
 lum Virginum, consolatrix Vi-
 duarum, in conjugio viventium
 saluberrima monitrix, atque
 omnium in Fide catholica per-
 fectissima roboratrix: cujus de-
 mum verbis, exemplis, studijs,
 ac operibus honestissimis effe-
 ctum sit, ut innumerabiles Ju-
 daei, ac Ethnici ad Christi fi-
 dem converterentur. Ex quo
 verò in caelos assumpta est, non
 cessat omnibus modis salutem
 mortalium procurare. Illa Ber-
 nardum, Dominicum, Francis-
 cum cum suis cohortibus orbi
 periclitanti suppetias misit: Illa
 Ignatium, Xaverium, Barzæ-
 um, aliosq; Soc. JESU milites
 in arenam produxit ad præli-
 andum prælia Domini. Quis-
 quis

quis ergo animarum conver-
 sioni intendis, nobile, Angeli-
 cum, & divinum hoc misterium
 tuum memineris sedulo Virgi-
 ni Matri offerre, ac deinde pro
 lætis successibus maximas illi
 grates agere; nec tantum tuos,
 sed & communes omnium hu-
 jusmodi operariorum vineæ
 Domini labores eidem sedulo
 commendare.

CAPVT XVIII.

Imitatio B. V. in amore

DEI.

Quidquid hactenus de ex-
 cellentia sanctitatis Vir-
 ginis dictum est, amor ipsius
 erga DEVM, quo tota plena
 fuit, & quoad alia omnia ra-
 piebatur, velut primo mobili,
 potis-

potissimum adscribendum est. Contemplare ex Scephronio quandam velut scintillulã tanti eius incendiij. Amor Christi, inquit, *Serm. de Assumpt.* MARIÆ desiderium pariebat, desiderium verò gliscens quasi novis reparabatur ardoribus, in tantum, ut credam, quòd nonnunquam omnia, etiam & semetipsam, transcenderet. Puto quòd quidquid cordis est, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas; non sufficiat ut cogitare valeas quanto indeficienter cremabatur ardore pij amoris, quam totam repleverat Spiritus sancti gratia, ita ut in eã nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas profusi amoris.

Quis.

Quisquis es qui hunc floscu-
 lum odoratissimum, & pulcher-
 rimum divini amoris sollicitè
 quæris, (quis autem non quæ-
 rat?) quisquis cum S. Augusti-
 no, & S. Bonaventura desideras
 tranfigi medullas, & intima vi-
 scera animæ tuæ suavissimo, &
 saluberrimo divini amoris vul-
 nere, quisquis es qui cum S.
 Francisco aspiras ut absorbeat
 mentem tuam ignita, & melli-
 flua vis amoris DEI ab omni-
 bus quæ sub cœlo sunt, ut amo-
 re amoris illius moriaris, qui
 amore amoris tui dignatus est
 in ligno crucis mori, accede ad
 MARIAM; & primò contem-
 plare ejus perfectionem, & vir-
 tutes, quas cum pœnè immen-
 sas, & incomprehensibiles de-
 miratus fueris, progredere ad
 illum

illum omnium donorum fontem DEVM ipsum, & videbis quamcunq; B. V. perfectionem & excellentiam, quantamcumque sanctitatis, & pulchritudinis magnitudinem, immensam illam gratiarum ejus congeriem, non esse nisi guttulam ab illo divinæ pulchritudinis, bonitatis, & amabilitatis oceano derivatam. Quis in hac consideratione totus amore DEI non exardescat? quis cum S. Augustino non exclamet: quid est quod amo, cum DEVM meum amo? Secundò adjuuge huic contemplationi ferventes preces ad B. Virginem, ut procuraret cordi tuo imprimi inviolabilem istius charitatis affectum, O quàm prompta, quàm facilis hujusmodi petitionem ex-

Z audiet

audiet sincero profusam corde!
 Cuidam Virgini magno viden-
 di Christi desiderio detentæ, &
 sibi in eum finem frequenter
 supplici, obtulit Deipara Fi-
 lium suum, à quo interrogata
 num se diligeret; etiam, affir-
 mavit, plusquã corpus meum.
 & quanto amplius, inquisivit
 Christus? plusquam, ait ipsa,
 cor meum. Adjecit puerulus
 J E S V S; sed quanto amplius
 corde tuo me diligis? non ha-
 beo, inquit Virgo, quod am-
 plius loquar, ipsummet tibi
 cor meum respondeat, quod
 continuo præ amore scissum
 est, proferens hoc aureis litte-
 ris scriptum; diligo te plusquam
 me, quia tu creasti, redemisti,
 dotaisti me. *Specul. exempl. d. 9.*
ex. 74. O suave amantis animæ
 deli-

deliquium! Ô vivificum amo-
 rem DEI, qui vitam tollendo
 mortalem, ad alteram perdu-
 cit immortalem! Ô salutarem
 amorem, cultumq; B. Virginis,
 qui amorem, cultumq; DEI se-
 cum in animam inducit, & tam
 foelicem impetrat mortem! Ita
 enim moritur, hoc est in bono
 statu, securè, & jucundè, quis-
 quis in hac vitâ audit, & est
 amator MARIÆ. Contemplare
 paulisper, amice Lector (quia
 jam ad finem Hortuli Parthe-
 nij pervenimus) exitum ex hac
 vita cujuslibet ferventis, &
 constantis cultoris Deiparæ.
 Jacet ille, & deficit languens
 amore DEI veriùs, quàm mor-
 bo, & pertæsus jam dudum in-
 colatus sui prolongationem, &
 exilij diuturnitatem, aspirat ad

cœlestem patriam; cupit dissol-
 vi, & esse cum Christo; at non
 ignarus sibi instare extremum,
 eumque maximè periculosum
 cum hoste conflictum, sed nec
 immemor miserationum Vir-
 ginis Matris ad eam supplex
 convertitur; O MARIA, inquit,
 succurre, ab hoste protege, in
 horâ mortis suscipe. Nec opus
 est pluribus; unicus gemitus,
 unica lacrymula afflicti, peri-
 clitantisque Filij, nimium, ô
 nimium materna viscera com-
 movet. Illicò advolat suppe-
 tias latura, Adsum, inquit, tibi
 præstò, fili, confide; si potest
 Mater unico Filio suo mori-
 enti non adesse, non compati,
 non ejus amplexibus advolui,
 ego tamen tui non obliviscar,
 ego te deseram nunquam. Et
 verò

verò dum moribundus sacro
 instruitur viatico, dum extre-
 mâ munitur unctione, assistit
 illi Mater amantissima, conso-
 latur, erigit, corroboret, & gre-
 mio suo velut pignus charissi-
 mum fovet. Ecce tibi, ait, ad
 quem toto pectore suspiras,
 propitium JESVM Filium meum,
 amplectere te amantem: am-
 plectitur moribundus, & cor
 suum cordi JESV conjungens,
 cœlestibus delibutus delicijs,
 epiniciû illi occinentibus An-
 gelis, quo potest affectu, de-
 cantat: Nunc dimittis servum
 tuum Domine, secundum ver-
 bum tuum in pace! & in hoc
 amoris cantico, in his gaudijs
 animam suam in manus Virgi-
 nis Matris securus consignat,
 æternæ gloriæ sermo coronan-

402 HORTVLVS

dam. Diceres Patriarcham Noë
 ex tenebricosâ captivitate, &
 communi sibi cum bestijs do-
 micilio, offerente columbâ ra-
 mum olivæ (MARIA Filium
 suum) ex arcâ corporis egredi-
 entem. O mors quàm amara
 es homini fallacem, & peritu-
 rum mundum amanti! Ô mors
 quàm suavis es amanti miseri-
 cordiæ Matrem MARIAM! Ô
 mors quàm formidolosa es, &
 terribilis illi, quem totus mo-
 ribundum impugnat Infernus!
 O mors quàm secura, & tran-
 quilla es illi quem potens pro-
 pugnat MARIA! Moriendum
 est. Si post innumera patrata
 scelera, si post neglectum DEI,
 Deiparæq; cultum, qui gemi-
 tus! quæ desperatio! Si post
 plurima Virgini toto vitæ cur-
 ricu-

M A R I A N V S. 403

riculo impensa obsequia, quod
gaudium! quæ Spes! morien-
dum est inermi inter tot ho-
stes: ô anxietatem! ô terro-
rem! Moriendum est inter bra-
chia Divæ Virginis: ô securi-
tatem! ô fœlicitatem! Fœlix,
verè fœlix, qui sic moritur!
Iterùm fœlix, qui sic vivit de-
votus Virgini, ut sic mori pos-
sit, victor, triumphatorq; per
Virginem. Hunc denique tibi
florem æternæ salutatis, & im-
mortalis gloriæ HORTVLVS
MARIANVS offert, non tamen
hic, nec modò, sed post hanc
vitam, sed in cœlo car-
pendum.

✻ (o) ✻

DEO

404 HORTVLVS

¶¶¶¶ (¶¶¶¶)

DEO PATRI, PATRI

misericordiarum,

ET DEO TOTIVS

consolationis.

EVCHARISTICON

Pro dono devotionis in

B. V.

DILIGEMVS te, Domine
DEVS noster, & benedi-
cemus nomini sancto tuo, quia
nos indignissimos serulos tuos
præventos ab æterno, benedi-
ctionibus dulcedinis tuæ, in
tempore beneplaciti tui, mise-
rationibus immensis, & innu-
meris cumulasti; ac inprimis
quia per lumen vultus tui quod
signasti super nos, per donum
Fidei, & cælestes inspirationes
signi-

significare nobis dignatus es,
 quàm gratum, acceptumq; sit
 divinæ tuæ Majestati, & nobis
 utile ad salutem, Sanctissimam
 Virginem Unigeniti tui Ma-
 trem toto affectu diligere, to-
 toq; mentis, & corporis cona-
 tu honorare, & colere. Atque
 ut id adimpleremus, è dilectæ
 Matris nostræ Ecclesiæ uberi-
 bus, simul cum lacte Religio-
 nis Catholicæ, tenerrimum, &
 filialem MARIÆ amorem vis-
 ceribus nostris instillasti. Pro-
 pter hoc dedisti lætitiā in
 corde nostro, cū in incerto
 salutis discrimine versantes,
 hoc beneficium velut præde-
 stinationis signum, animis gau-
 dio colliquescentibus, con-
 templamur, & in colenda Vir-
 gine cœlestis regni delicias
 præ-

306 HORT: MAR:


prælibamus. O Pater misericordiarum, & DEVS totius consolationis istam per te de MARIA Matre misericordiæ, & consolatrice afflictorum conceptam fiduciam confirma, & nos toto corde ejus devotos obsequio, ne aliquando in eo deficiamus, & langueamus, continuato gratiarum influxu potenter perfice. Per JESVM Christum Filium tuum, cui tecum, & cum sancto Spiritu laus, honor, & gloria in omnem æternitatem,
Amen.



Errata Lector
corriget.

DOMINUS
HABEAT

Innua Ad Maiorem
Dei Gloria fely no
Et Sanctissima uirgo B. qui
p. spiritu sui in uobis pates
misi in mortis articulo et
Sbro



Jan 17 44

ULB Halle


3

005 752 310




VDA 7





Farbkarte #13

B.I.G.



Illustrissime Domine,
Salutem, & flores optimos ex Hortulo MARIANO.

Rosa pretiosa aestatis filia, facer oculis, naribusq; flosculus, purpurata hortorum imperatrix est: ut proinde mirum non sit ut Greg. XIII. ex auro elaboratam rosarum vernantium stirpem, quae aureo inserta vasculo, & ex tripode aureo eminens sesquicubitalem altitudinem vel attingebat tantum, aut etiam excedebat,

1893/94 S. 1045

vi-
ni-
no
as:
cal
n fi
on.
or,
ce
llo
ns
Æ
al-
ur
o-
m
vi-
lis
o-

